AUTHOR:
WERNER, PAUL [OTTOMAR]
TITLE:
DE INCENDIIS URBIS ROMAE AETATE....
PLACE:
LIPSIAE
DATE:
1906

Master Negative #

91-80067-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Werner, Paul [Ottomar] 1881-

De incendiis urbis Romae aetate imperatorum ... Lipsiae, 1906.

86, [1] p. 22½cm.

Inaug.-diss.—Leipzig.
Vita.

1. Rome (City)—Fires. 2. Rome—Hist.—Empire, B. C. 30-A. D. 476.

9-6726

Library of Congress DG69.W4

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 5/29/91 INITIALS A.T.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




AIIM


Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE INCENDIIS VRBIS ROMAE AETATE IMPERATORVM

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

PAVLVS WERNER
REINSDORFENSIS



LIPSIAE MCMVI
TYPIS ROBERTI NOSKE BORNENSIS

RETTVLERVNT AD ORDINIS PHILOLOGOS DE HAC DISSERTATIONE

GARDTHAVSEN MARX

PROCANCELLARIO
MARX

LIPSIAE D. XXII. M. FEBRVARII A. MCMVI.

VICTORI GARDTHAVSEN

Tabula argumenti.

pag.
Exordium 7

Caput I. Quae incendia Romae imperatorum aetate orta sint 9

Caput II. Quo modo Romae incendia arcere et restinguere conati sint . 47
1. de legibus de modo aedificiorum 47
2. de uigilibus 51
a) de historia uigilum 51
b) de constitutione uigilum 56
c) de instrumentis ad incendia exstinguenda comparatis . . 66
d) de stationibus excubitoriisque uigilum 71
3. de praefecto uigilum 74

Caput III. De Volcanalibus aliisque religionibus ad incendia arcenda pertinentibus 81

Τὰς συγγενεῖς καὶ συνοίκους τῆς Ῥώμης κῆρας ἐμπρησμοὺς καὶ συνιζήσεις esse Plutarchus[1]) iure dixit. Quam enim urbem antiquis temporibus tot tantisque incendiis uexatam atque uastatam esse putas quantis constat conflagrasse urbem Romam? Quis est, qui Gallos, cum in Italiam inuasissent, anno CCCLXXXVI a. C. n. totam fere urbem Romam igni deleuisse[2]) nesciat? Quis est, qui urbem Romam illo tam uasto incendio, quod Neronis aetate ortum est, maximam partem flammis absumptam esse nesciat? Nimirum de illis duobus incendiis iam multum est disputatum.[3]) Neque uero alia incendia, quibus urbs Roma uexata est, adhuc nisi breuissime neque plene sunt tractata. Quae cum ita sint, non inutilem operam me impensurum esse puto, cum paulo diligentius inquiram quot quantaque incendia imperatorum temporibus in urbe Roma orta sint. Sed priusquam ad id, quod mihi proposui, aggredior, rogo te, candide lector, ne, quod incendia temporum ordine seruato dinumerabo, orationem meam aridam grauiter feras.

---

[1]) Plut. Crass. 2.

[2]) Liu. V 41. Diod. XIV 116.

[3]) de incendio a Gallis facto disseruerunt: Niese, Die Chronologie der Gallischen Kriege bei Polybios, Hermes XIII 1878 p. 401 sq. Mommsen, Die gallische Katastrophe, Röm. Forschg. II p. 297 sq. Thouret, Über den gallischen Brand, Fleck. Jahrb. f. klass. Phil. Suppl. XI 1880 p. 93 sq. Unger, Die Quellen des Polybios im Gallischen Bericht, Philol. XXXIX 1880 p. 69 sq.

Caput I.

Quae incendia aetate imperatorum in urbe Roma orta sint.

Non solum libera re publica,[1]) sed etiam imperatorum temporibus[2]) urbs Roma frequentissimis incendiis uastata est. Ipso primo anno imperii

Augusti[3])

uehementissimo incendio urbs magnam partem deleta est.[4]) Dio Cassius enim testatur in circo maximo illud ortum esse et libertinos ignem excitasse uisos esse, cum ipsis imperatum esset, ut ei, qui ducenta sestertia aut amplius possiderent, octauam partem in publicum conferrent. Enimuero etsi uisum esset illud incendium hac de causa insidiis libertinorum euenisse, tamen propter multitudinem eorum, quae conflagrauerint, inter prodigia etiam maxima adscriptum esse. Sed haec leuiora, illa uero grauia atque magna. Igni cum alia multa tum magna ipsius circi pars templaque Cereris et Spei[5]) absumpta sunt. Circi enim summa contignatio, quae erat ligno constructa, flammis periit et paulo post ab Augusto refecta est. Tum quoque restituit

---

[1]) de incendiis illius aetatis uberius disseruerunt Jordan, Topographie der Stadt Rom im Altertum, I 1 p. 482 adn. 2. Gilbert, Geschichte und Topographie der Stadt Rom im Altertum, III p. 33 adn. 1.

[2]) Gilbert l. s. p. 33—36. Friedlaender, Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms, I[6] (1880) p. 31 sq.

[3]) in uniuersum testantur incendia Augusto imperatore orta Horat. carm. III 6. Strabo V 3, 7. Suet. Aug. 30.

[4]) Strab. VIII 6, 23. Tac. ann. II 49. Dio L 10, 3—6.

[5]) templum Spei in foro holitorio situm item templa Fortunae et Matris Matutae in foro boario sita iam anno CCXIII a. C. n. incendio deleta (Liu. XXIV 47) anno proximo restituta erant (Liu. XXV 7).

Augustus pulvinar, unde postea ludos circenses spectabat.[1]) Atque Cereris Liberi Liberaeque templum, ut supra dixi, igni conflagrauit, quod erat eo magis dolendum, quod illud exornatum erat pretiosissimis operibus Damophili[2]) et Gorgasi sculptorum pictorumque, quorum maior pars incendio interisse uidetur. Praeterea autem Strabo[3]) dilucide docuit hac calamitate tabulam Aristidis, qua Dionysos depictus esset, deletam esse, eandemque fuisse puto, quam L. Mummius „cum in praeda uendenda rex Attalus ✱|VI| emisset, pretium miratus suspicatusque aliquid in ea uirtutis, quod ipse nesciret, reuocauit, Attalo multum querente, et in Cereris delubro posuit".[4]) Maxima autem diligentia atque impensa illud templum restituere Augustus coepit, quod Tiberius anno XVII p. C. n. perfecit.[5]) Et templum Spei in foro holitorio situm a Germanico anno XVII p. C. n. instauratum esse idem Tacitus[5]) auctor est. Neque uero quantum fuerit incendium plene, ut saepius fit, memoriae traditum est, quoniam scriptores ueteres in incendiis describendis nisi maxima aedificia non commemorant, unde eluceat, quousque flamma peruaserit, id quod etiam ex Dionis[6]) uerbis *καὶ πῦρ ἄλλα τε οὐκ ὀλίγα καὶ αὐτοῦ τοῦ ἱπποδρόμου πολὺ τό τε Δημήτριον καὶ ἕτερον ναὸν Ἐλπίδος ἔφθειρεν* facile colligi potest. Quae cum ita sint, Iani quoque templum in foro holitorio anno XXXI a. C. n. flammis esse haustum opinor. Namque inter opera publica a Tiberio anno XVII p. C. n. restituta Tacitus[7]) illud templum enumerat, quod ad incendium anno XXXI a. C. n. ortum spectare uidetur. Neque arbitror me esse erraturum cum dicam illo anno totum forum holitorium flammis absumptum esse. Quod cum forum receptaculum peregrinarum mercium esset, horrea et tabulis constrata et rebus ignis capacissimis completa difficulter flammis comprehendi non potuerant. Quid? Quod illo anno theatrum Pompei templumque Fortunae equestris,

---

[1]) Monum. Ancyr. ed. M. IV[2] 4 quo loco Graecus interpres puluinar reddidit *ναόν*. Suet. Aug. 45; Claud. 4. Gardthausen, Augustus und seine Zeit, II 2, 572 adn. 21.

[2]) O. Rossbach apud P.-Wiss. IV 2076, 8.

[3]) Strabo l. s.

[4]) Plin. n. h. XXXV 24.

[5]) Tac. ann. II 49.

[6]) Dio l. s.

[7]) Tac. l. s. Illud templum a. d. XVI kal. Sept. Tiberium denuo dedicauisse apparet ex fastis C. I. L. I[2] p. 325.

quod erat situm „ad theatrum lapideum"[1]) h. e. Pompei incendio deleta sunt? Dio[2]) enim commemorat annis XXXII/XXXI a. C. n. multa monumenta tempestate afflicta esse inter quae tropaeum quoddam in Auentino positum conciderit Victoriaeque simulacrum a scaena theatri deiectum esse, multa igni absumpta esse. Atque huc spectat illud Monumenti Ancyrani[3]) „Pompeium theatrum impensa grandi refeci sine ulla inscriptione nominis mei". Quo autem anno Augustus illud theatrum refecerit, ignoratur, sed coniectura de eo capienda est ex laterculi illius ordine. Quod enim Augustus, ut Zumpt recte obseruauit, in singulis temporis ordinem secutus est, inde coniciendum est theatrum Pompei paulo post annos IV uel V p. C. n. instauratum esse, cum commemoretur eis uerbis, quae praecedunt, aedem Matris Magnae in Palatio refectam esse, id quod fortasse annis IV uel V p. C. n. factum est. Neque uero templum Fortunae equestris postea restitutum est, quod teste Tacito[4]) Tiberii temporibus non erat.

Ex his, quae breuiter exposui, satis intellegi posse puto anno XXXI a. C. n. regiones IX et XI plus minusue incendio uastatas esse.

Anno XXIII a. C. n. incendio et tempestate multa aedificia urbis laesa esse Dio[5]) unus, quantum scio, auctor est. Neque uero fructum inde capere possumus, cum colligi non possit, quae partes quaeque aedificia urbis flammis sint comprehensa.

Nunc dicam de incendio anno XVI a. C. n. orto.[6]) Postridie enim eius diei, quo[7]) Augustus Tiberiusque ex urbe in Galliam

---

[1]) Vitr. III 3, 2.

[2]) Dio L 8, 3.

[3]) Monum. Ancyr. IV 9.

[4]) Tac. ann. III 71. Nipperdey ad hunc Taciti locum adnotat post annum XCII a. C. n., quo anno illud templum etiam esset (Iul. Obseq. 53 [113]), uerisimile esse incendio deletum esse, et Gilbert l. s. III p. 84 adn. 2 inter annos XIV a. C. n. et XX p. C. n. flammis absumptum esse putat.

[5]) Dio LIII 33,5.

[6]) Dio LIV 19,7.

[7]) Augustum hoc iter post a. d. V kal. Iul. ingressum esse puto. Nummus enim L. Mescinii Rufi triumuiri (Babelon, monnaies de la républ. rom. II p. 220. Cohen I[2] p. 120 nu. 464 = annuaire de numism. VIII 1884 p. 45 nu. 37): S. P. Q. R. u. p. red. Caes. pro s(al). et red(itu), spectat ad annum XVI a. C. n. Mescinius Rufus autem ab a. d. V kal. Iul. anni XVI a. C. n. usque ad a. d. VI kal. Iul. anni XV a. C. n. nummos percussit (Zeitschrift für Numismatik

Comatam abierant, quod erat quartum iter Augusti, aedes Iuuentatis in circo maximo nocte conflagrauit. Neque est dubium, quin hoc incendium, cum certum sit Augustum paulo antequam in Galliam proficisceretur, a. d. XIII kal. Mart. templum Quirini denuo aedificatum dedicasse,[1]) post a. d. XIII kal. Mart. factum sit. Quid? Quod cum manifestum sit post a. d. V kal. Iul. Augustum urbem reliquisse, post a. d. V kal. Iul. hoc incendium ortum esse luce clarius est? Augustus quo anno hanc aedem in circo maximo sitam[2]) restituerit, cum non tradatur, coniectura de eo capienda est iterum ex Monumenti Ancyrani ordine.[3]) Quod enim templum Matris Magnae in Palatio situm anno III p. C. n. incendio consumptum ab Augusto annis IV uel V p. C. n. refectum esse manifestum est, inde facile colligi posse puto paulo ante annos IV uel V p. C. n. templum Iuuentatis restitutum esse.

Duobus annis post uehementissimo incendio forum Romanum aedificiaque uicina uastata sunt.[4]) Ortus est enim ignis ex basilica Aemilia (Paulli) ab eaque usque ad Vestae templum[5]) progressus. Quodsi Vestae templum flammis con-

IX p. 179 sq). Quae cum ita sint, Augustus post a. d. V kal. Iul. anni XVI a. C. n. quartum in Galliam profectus uidetur esse.

[1]) Dio l. s. C. I. L. I^2 p. 310 conf Hartwig, Mitteil. d. arch. Inst. zu Rom XIX 1904 p. 23 sq.

[2]) Neque enim uenit in censum, ut Mommsen in Mon. Anc.^{2} p. 82 recte dicit, aedicula Iuuentatis, quae erat sita in Capitolio in delubro Mineruae, atque „mero ex errore ex Mon. Anc. IV^2 8 effecit Zumptius, quem secutus est Preller, röm. Mythol. I^3 1881 p. 262 eam quam fecerit Augustus Iuuentatis aedem fuisse in Palatio.“

[3]) Iniuria Richter, Topographie der Stadt Rom 1901 p. 181, cum putet illud Mon. Anc. IV 8 pertinere ad templum denuo aedificatum, dicit nihil certi de restitutione illius postquam anno XVI a. C. n. incendio deletum sit, nos accepisse. Plinii autem temporibus illud fuit (Plin. n. h. XXIX 57). Et recte quidem Gilbert l. s. III p. 94 adn. 1 dicit illud Mon. Anc. IV 8 „aedem Iuuentatis feci“ spectare ad templum restitutum, postquam anno XVI a. C. n. igni deletum sit. Neque igitur stare potest sententia Richteri (l. s. p. 138 adn. 1), qui Augustum inter 'facere' h. e. denuo aedificare et 'reficere' h. e. restituere et 'perficere' h. e. perficere ea quae alii aedificare coepissent, discrimen seruasse ostendere conatus est.

[4]) Dio LIV 24, 2.

[5]) templum Vestae antea saepius flammis comprehensum est uelut anno CCXLI a. C. n. (Liu. ep. 19. Plin. n. h. VII 141. Ouid. fast. VI 437. Oros. IV 11, 9). At a. d. XV kal. April. anni CCX a. C. n., quo die maximum incendium circa forum ortum erat, illud maximis laboribus seruatum esse testatur

flagrauit, aedificia quoque, quae erant interiecta, correpta esse manifestum est. Atque a templo Vestae uastum incendium serpsit fortasse ad Castorum templum basilicamque Iuliam, quae paulo ante absoluta hoc incendio interiit et amplius atque magnificentius ab Augusto anno XII p. C. n. in honorem C. et L. Caesarum refecta est.[1]) Castorum autem templum Tiberius anno VI p. C. n.[2]) restituit dedicauitque sub nomine suo et Drusi fratris.[3]) Vestae templum paulo post annum XIV a. C. n. Augustus ipse redintegrauit. Et basilica Aemilia[4]) specie quidem ab Aemilio quodam, re autem ab Augusto et Aemilii Pauli amicis magnificentissime[5]) restaurata est.[6]) Videmus igitur anno XIV a. C. n. flammis totam fere regionem VIII haustam esse.

Deinceps dicendum est de incendio, quo magna pars urbis Romae interiit paulo ante Agrippam mortuum h. e. paulo ante a. d. XIII kal. April. anni XII a. C. n.[7]) Dio enim summatim testatur flammis multa aedificia urbis conflagrasse, inter quae Romuli casam. Pro superstitione sua ille coruos carnes ignitas raptas ab ara quadam coniecisse adnotauit, qua re flamma latius serpsisset. Sed haec leuiora. Fortasse autem illa aedificia a septemtrione Palatini montis, fortasse ad forum sita erant,

Liu. XXVI 27, id quod Richter l. s. p. 88 nulla indicta causa negat. R. enim confudit aedem Vestae atrio Vestae, quod igni comprehensum esse Liuius auctor est; de illo incendio conf Huelsen, forum Romanum 1905 p. 10.

[1]) Mon. Anc. IV 13. Suet. Aug. 29. Dio LVI 27, 5 quo loco codd. *Λιουία*, at uide Merkel ad Ouid. fast. p. CXLI cuius emendatio simplex est, quod Iuliae et Liuiae nomina saepissime a librariis permutantur atque confunduntur uelut etiam l. LV 32, 1.

[2]) a. d. VI kal. Febr. hoc templum a Tiberio refectum dedicatum est (C. I. L. I^2 p. 232). Gilbert l. s. III p. 60 adn. 2. contra Mommseu in C. I. L. I^2 p. 308.

[3]) Suet. Tib. 20. Dio LV 27, 4. Gilbert l. s. III p. 61.

[4]) facere non possum cum Gilbert, qui l. s. III p. 221 adn. 3 dicit ex loco Dion. XLIX 42, 2 colligendum esse hanc basilicam anno XXXIV a. C. n. incendio deletam esse; immo equidem putare malo illud Dionis spectare ad basilicam a L. Aemilio Paulo anno LV a. C. n. coeptam aedificari et a Paulo Aemilio Lepido perfectam, quam hic in consulatu suo anno XXXIV a. C. n. dedicauit. Huelsen, Mitteil. d. arch. Inst. zu Rom XVII 1902 p. 41 sq.; idem, Forum Roman. 1905 p. 116 sq.; idem, Neue Jahrb. f. d. class. Altertum XIII 1904 p. 23 sq. impr. 34.

[5]) Plin. n. h. XXXVI 102.

[6]) Dio LIV 24, 2.

[7]) Dio LIV 29, 8.

id quod coniectura capi potest ex Dionis uerbis[1]) *πολλὰ τῶν περὶ τὴν ἀγορὰν οἰκοδομημάτων κεκαῦσθαι*, quae uerba ad id incendium spectare puto. Casa autem Romuli eo facilius flammis comprehendi potuit,[2]) quod erat uimentis lignisque constructa, ita ut ruina eius hoc tempore uideri non iam possit.[3]) Quae fuerint aedificia fori Romani, quae tum deleta sunt, inuestigari non potest. Iterum igitur regio VIII igni ex parte uastata est.

Neque uero utrum anno IX a. C. n., quo tempestate atque fulminibus multa templa perisse, inter quae Iouis etiam Capitolini,[4]) et huic adiuncta fana laesa esse Dio commemorat, incendio urbs uastata sit necne, ex illo Dionis loco plane apparet, sed esse fortasse uerisimile uideri potest. De restitutione autem templi Iouis Capitolini nihil certi accepimus nisi hoc Mon. Anc.:[5]) „Capitolium refeci."

Proximis annis urbs uastis incendiis integra uidetur fuisse. Certum autem est anno III p. C. n.[6]) domum Augustanam et templum Magnae Matris in Palatio forte incendio interisse.[7])

Sed una domus[8]) illius pars conflagrasse uidetur, quam Augustus ipse restituit, „in" quam „restitutionem ueterani, decuriae, tribus atque etiam singillatim e cetero genere hominum libentes ac pro facultate quisque pecunias contulerunt, delibante tantum modo eo summarum aceruos neque ex quoquam plus denario auferente".[9]) Atque instauratam domum Augustus totam publicam

---

[1]) Dio LV 8, 6.

[2]) iam anno XXXVIII a. C. n. casa igni sacri, quod in ea pontifices fecerant, correpta conflagrauerat (Dio XLVIII 43, 4).

[3]) sed quaestio difficillima de casa Romuli hic tractari nequit, eaque num unquam ad liquidum perduci possit, ualde dubium est. Gilbert l. s. I p. 48. Richter l. s. p. 133. 134.

[4]) iam pridie Non. Iul. anni LXXXIII a. C. n. hoc templum incendio conflagrauerat (Tac. hist. III 72. Iul. Obseq. 57 [118]). Jordan l. s. I 2, p. 27. Roßbach Rh. M. LII 1897 p. 11. Richter l. s. p. 125.

[5]) Mon. Anc. IV 9.

[6]) non anno I p. C. n. ut scripsit Richter l. s. p. 135.

[7]) Dio LV 12, 4. Val. Max. I 8, 11.

[8]) iam anno XXXVI a. C. n. cum Augustus ex Sicilia id. Nou. (cf. C. I. L. I² p. 461) redisset, domus Augustana de caelo tacta deflagrauerat (Plin. n. h. XXXV 83. Dio XLIX 15,5), quam ille restituit (Vell. Paterc. II 81, 3).

[9]) Suet. Aug. 57.

esse iussit.[1]) Templum Matris Magnae[2]) in Palatio item ab Augusto annis IV uel V p. C. n., ut supra dixi, restitutum est.[3]) Quae cum ita sint, anno III p. C. n. regio X ex parte incendio uexata est.

Tribus annis post iterum *πολλὰ τῆς πόλεως πυρὶ διεφθάρη*.[4]) Neque uero inuestigari potest, quae partes quaeque aedificia urbis comprehensa sint flammis. Quod incendium haud paruum fuisse, uel inde colligi potest, quod illo anno Augustus *ἄνδρας τε ἐξελευθέρους ἐπταχῇ πρὸς τὰς ἐπικουρίας αὐτῆς* scil. *πόλεως κατελέξατο, καὶ ἄρχοντα ἱππέα αὐτοῖς προσέταξεν*,[5]) qua de re infra[6]) uberius disseram.

Iam apparet, quot et quantis incendiis Augusto imperatore urbs Roma deleta sit.

Nunc accedam ad incendia, quibus

Tiberii

temporibus urbs uastata est.

Primum incendium, quantum scio, Tiberio imperatore anno XVI p. C. n. in urbe Roma ortum est.[7]) Quamquam Dio ubi et quantum id incendium fuerit, non commemorat, tamen ex sequentibus colligi posse puto iuxta Vestae templum ortum esse. Huc enim spectant Suetonii[8]) uerba „incendio iuxta aedem Vestae et ipsam (Liuiam) interuenisse populumque et milites quo enixius opem ferrent, adhortatam" atque illud Dionis[9]) *ἐμπρησθεῖσί τέ τισιν οὐχ ὅπως ὁ Τιβέριος, ἀλλὰ καὶ ἡ Λιουΐα ἤμυνε* Zonaraeque[10]) *πυρὶ μυρία ἐφθάρη*. Quae aedificia uel templa fori

---

[1]) Dio LV 12, 5. iam anno XIII a. C. n. partem domus publicam esse iusserat (Dio LIV 27, 3).

[2]) illud templum iam anno CXI a. C. n. flammis correptum (Val. Max. I 8, 11) a Metello quodam refectum erat (Iul. Obseq. 99).

[3]) Mon. Anc. IV 8. Ouid. fast. IV 438 quo ex loco apparet cum Ouidius poeta libros fastorum componeret, hoc templum restitui coeptum, sed nondum absolutum esse. Fast. Praenest. (C. I. L. I² p. 316) ad Apr. X: ludi. in. circo. M. D. M. I. in. palatio quod. eo die. aedis. ei dedicata. est. Merkel ad Ouid. fast. p. XLIV. Ehwald in Burs. Jahresb. LXXX 2. Abt. (1894) p. 3. Huelsen, Mitteil. d. arch. Inst. zu Rom X 1895 p. 33.

[4]) Dio LV 26, 4; 27, 1.

[5]) Dio LV 26, 4.

[6]) p. 54.

[7]) Dio LVII 14, 10.

[8]) Suet. Tib. 50. Ac ne illud quidem neglegendum est, quod Liuia incendiis interuenisset, Tiberium postea questum esse.

[9]) Dio LVII 16, 2.

[10]) Zon. XI 2 (p. 10, 2 D).

Romani flammis perierint, uix iam dici potest. Hoc constat Vestae templum flammis integrum fuisse.

Quinque annis post theatrum Pompei iterum igni fortuito haustum est, scil. scaena theatri[1]. Nulla re nisi Seiani „labore uigilantiaque tanta uis unum intra damnum stetit", ut patres effigiem Seiano censerent, „quae apud theatrum Pompei locaretur."[2] Scaenam autem theatri restituit Tiberius[3] atque Caligula et Claudius theatrum ipsum perfecerunt.[4]

Saeuissimis quoque incendiis urbs Roma Tiberii temporibus uexata est, quorum altero anno XXVII p. C. n. paulo post amphitheatrum Fidenis collapsum[5] Caelius mons deustus est.[6] Priuatorum plurima aedificia flammis deflagrauerunt, nam ille mons altissimis[7] insulis erat completus. Tum, cum egentissimi homines calamitate afflicti erant, Tiberius dominis insularum pecunias tribuit, ut domos suas reficerent, quod beneficium tanti populus aestimauit, „ut montem Caelium appellatione mutata uocari Augustum iusserit".[8] Quae templa, quae hoc in monte multa non fuerunt, igni correpta sint, memoriae non traditur. Sed quamquam id incendium maximo fuit urbi Romae detrimento, tamen maximo quoque emolumento, quod ex illo tempore Caelius

---

[1] Tac. ann. III 72. Dio LX 6, 8. Hieron. a. Abr. 2037.

[2] Tac. l. s. s. Seneca ad Marc. de cons. XXII 4, non XXII 13, ut Nipperdey ad hunc Tac. locum adnotauit.

[3] Vell. Paterc. II 130, 1. Suet. Tib. 47. Tac. ann. VI 45, non VI 51, ut scripsit Gilbert l. s. III p. 324 adn. 1.

[4] Suet. Calig. 21, non 91, ut scripsit Gilbert l. s. Suet. Claud. 21. Dio LX 6, 8. Tum etiam „numerus tertii consulatus (Pompei) non ut initio primoribus litteris, sed tribus tantum lineolis incisis significatus est". (Gell. noct. Att. X 1, 1—11, imprimis 7—9).

[5] Tac. ann. IV 62. Suet. Tib. 40.

[6] Tac. ann. IV 64; mirum quod Dio nihil de hoc incendio commemorat.

[7] conf Val. Max. VIII 2, 1: „Claudius Centumalus ab auguribus iussus altitudinem domus suae, quam in Caelio monte habebat, summittere, quia his ex arce augurium capientibus officiebat, uendidit eam Calpurnio Lanario". conf etiam Cicer. de off. III 66.

[8] Suet. Tib. 48. Vell. Paterc. II 130, 2. At Tacitus ann. IV 64 testatur sententias additas esse, „ut mons Caelius in posterum Augustus appellaretur, quando cunctis circum flagrantibus sola Tiberii effigies, sita in domo Iunii senatoris, inuiolata mansisset". Quoquo modo res se habet, hoc nouum nomen nunquam in usum uenit. conf Huelsen apud P.-Wiss. III 1274.

mons nobilium domibus coaedificabatur. Constat igitur anno XXVII p. C. n. fere totam regionem II igni uastatam esse.

Quattuor annis post milites Seiani indignantes propter studium in illum se suspectos esse uigilesque sibi ob fidem in Tiberium anteponi, incendia fecisse Dio auctor est.[1] Neque uero quae urbis partes igni sint uastatae, inuestigari potest.

Restat, ut doceam de altero uasto incendio Tiberii temporibus in urbe orto. Anno enim XXXVI p. C. n. circi maximi pars quae Auentino monti contigua erat, ipseque Auentinus mons flammis perierunt.[2] Ac tum quidem circi tabernae eiusque summa contabulatio, quae partes circi erant igni concipiendo idoneae, et circo ipsi et uicinis aedificiis periculo fuerunt. Namque omnia templa et aedificia, quae hoc in monte posita erant, tum igni deusta sunt. Tum quoque Tiberius pecunias iis, qui damnum inde tulerant, iterum impendit,[3] ut domos suas reficerent. Circum maximum autem Claudius uidetur restituisse.[4] Anno igitur XXXVI p. C. n. regio XIII flammis interiit.

Neque uero quo anno pons naumachiarius incendio Tiberio imperatore orto conflagrauerit[5] dici potest.

Ex his quae breuissime dixi satis apparet Tiberii temporibus urbem Romam uehementissimis incendiis uastatam esse sicuti Augusto imperatore.

Nunc uideamus quae incendia Romae

Caligula

imperatore orta sint.

Anno XXXVIII p. C. n. incendium alicubi ortum Caligulam cum militibus restinxisse et pecunia eos adiuuisse, qui detrimentum accepissent, Cassius Dio[6] commemorat. Neque qua in parte urbis id incendium factum sit, quicquam certi accepimus.

Praeterea testatur Suetonius[7] domum Caligulae in Palatio sitam, in qua ille occubuerit, incendio consumptam esse, h. e. post a. d. IX kal. Febr. anni XLI p. C. n.[8] Quam domum

---

[1] Dio LVIII 12, 1.

[2] Dio LVIII 26, 5. Tac. ann. VI 45, non 51, ut scripsit Richter l. s. p. 176.

[3] Tac. l. s. s. Dio l. s. s. Suet. Calig. 16.

[4] Richter l. s. p. 176.

[5] Plin. n. h. XVI 190. 200.

[6] Dio LIX 9, 4.

[7] Suet. Calig. 59.

[8] Niese, Grundriß d. röm. Geschichte, p. 192.

mox restitutam esse ex Suetonii[1]) uerbis „(senatus) censuit et mox ut domus ei quam incendio amiserat, publica impensa restitueretur“ satis apparet. Haec habui de incendiis quae Caligula imperatore in urbe Roma orta sunt.

Claudii

temporibus duobus incendiis, quantum accepi, urbs uastata est, quorum maius anno LIV p. C. n. ortum est.[2]) Zonaras enim ingenti incendio urbem Romam deletam esse testatur. Atque e loco Suetonii modo adlato elucet Aemiliana[3]) quod uocatur suburbium illo anno flammis absumpta esse. Templum etiam Felicitatis in foro boario situm una cum Veneris simulacro, quod erat ante illam aedem, igni comprehensum est.[4]) Per duos dies totidemque noctes incendio id suburbium arsit, quamquam Claudius „deficiente militum ac familiarum turba, auxilio plebem per magistratus ex omnibus uicis conuocauit ac positis ante se cum pecunia fiscis, ad subueniendum hortatus est, repraesentans pro opera dignam cuique mercedem.“[5]) Quid? Quod Agrippina huic incendio interuenit?[6]) Quae singula aedificia uel templa igni correpta sint, nihil certi constat. Quae cum ita sint regio IX maximam partem anno LIV p. C. n. incendio uexata est.

Quo anno alterum incendium ortum sit, memoriae non traditum est. Neque enim quicquam testatur Plinius[7]) nisi Claudii aetate templum Salutis in Quirinali monte situm una cum tabulis a Fabio Pictore pictis igni deletum esse. Quod templum postea refectum esse documento est, quod Notitia urbis regionum XIV[8]) illud templum commemoratur. Atque haec quidem hactenus, uideamus nunc quibus incendiis

Nerone

imperatore urbs uexata sit.

---

1) Suet. Claud. 6.

2) Suet. Claud. 18. Zonar. XI 11 (p. 34, 26—28 D. = Boissevain ed. Dion. vol. III p. 15, 6). Gilbert l. s. III p. 34 adn. 2 locos Suetonii et Zonarae ad duo diuersa incendia spectare putat, quod mihi non esse uerisimile uidetur.

3) Gilbert l. s. III p. 378.

4) Plin. n. h. XXXIV 69.

5) Suet. l. s.

6) Dio l. s.

7) Plin. n. h. XXXV 19. Val. Max. VIII 14, 6.

8) Notitia (et Curiosum) urbis Romae quam citabo secundam editionem Jordani Topographie II p. 539—574, s. reg. VI = Jordan l. s. II p. 549.

Hieronymus[1]) enim urbem Romam compluribus incendiis illis temporibus factis haustam esse commemorat. Anno LXII p. C. n. stadium in campo Martio situm, quod anno LXI p. C. n. a Nerone dedicatum erat,[2]) de caelo tactum conflagrauit „effigiesque in eo Neronis ad informe aes liquefacta.“[3]) Quod stadium a Domitiano refectum esse Suetonius auctor est.[4])

Nunc incendium anno LXIV p. C. n. ortum quam breuissime consideremus. Semel atque iterum enim de hoc incendio imprimis de illius auctore disputatum est.[5]) Quae cum ita sint, quatenus id incendium dolo factum sit, hic non disputem, idque num unquam ad liquidum perduci possit, ualde dubium esse puto. Sed fortasse id incendium ista tam aestuante nocte Iulii mensis ex horreis oleis completis ortum atque uehementissima tempestate auctum fuit una ex illis calamitatibus, quibus urbs Roma saepissime affligebatur, id quod ex Taciti[6]) uerbis „forte an dolo principis incertum“ apparere uidetur.

Ac primum quidem dicam de scriptoribus,[7]) qui hoc incen-

---

1) Hieron. a. Abr. 2080.

2) Tac. ann. XIV 47.

3) Tac. ann. XV 22.

4) Suet. Dom. 5. Eutrop. VII 23. Chron. min. I p. 146 ed. M.

5) scripserunt de incendio Neroniano: Negri, Nerone e il cristianesimo, revista d'Italia no VIII—IX 1899. M. Pascal, l'incendio di Roma e i primi Cristiani, 1900. idem, fatti e legende di Roma antica 1903 p. 117—185. Coen, la persecuzione neroniana dei cristiani, Atene e Roma no XXI—XXIII 1900, Florenz. Profumo, l'incendio Neroniano, nuovo bullettino di archeologia cristiana 1900 p. 345—352. idem, le fonti ed i tempi dello incendio Neroniano, Roma 1905. Boissier, l'incendie de Rome et la première persécution chrêtienne, journal des savants, mars 1902 p. 161 sq. Paul Allard, l'incendie de Rome et les premiers chrétiens, revue des questions historiques, 73 n. s. XXIX 1903 p. 341—378. nuperrime: idem, les chrétiens ont-ils incendié Rome sous Néron? Paris 1904. Church A. J., burning of Rome; story of Nero's days, London 1903.

disseruerunt de hoc incendio: Jordan l. s. I 1 p. 487 sq. v. Reumont, Geschichte Roms I p. 327—331. Duruy-Hertzberg, römische Kaisergeschichte I 706—715. Schiller, Nero p. 16—17. 173—178. 424—440. idem, Geschichte der röm. Kaiserzeit I p. 359. 360. idem, comm. phil. in honor. Th. Mommseni 1877 p. 41. Sievers, Studien zur Geschichte der röm. Kaiser p. 110—112. Ranke, Weltgeschichte III 1 1883 p. 119. Gercke, Senecastudien, Fleck. Jahrb. f. klass. Philol. Suppl. XXII 1896 p. 201. e. a.

6) Tac. ann. XV 38.

7) De hac re uberius disseruit Profumo, le fonti ed i tempi dello incendio Neroniano, p. 14—194.

dium testantur, qui sunt: Tac. ann. XV 38—44. 50. Dio LXII 16—18. Plin. n. h. XVII 4.[1]) Suet. Nero 11. 31. 38. Eutrop. hist. rom. VII 14. Oros. adu. pag. VII 7, 4—10. Aurel. Vict. Caes. 5, 14.[2]) Seru. Sulp. chron. II 29. Hieron. a. Abr. 2080. Stat. silu. II 7, 60. Pseudo-Seneca Octau. 831.[3]) Seneca epist. 12. C. I. L. VI 826. Praeterea autem Lucanus declamationem „de incendio urbis" scripserat.[4])

Quibus enumeratis in uniuersum consideremus illos auctores. Tacitus enim plenam descriptionem incendii fecit, Suetonius expositiunculam. Dionis autem descriptio uix in censum uenit, cum quantum fuerit id incendium, breuissime atque parum plene testetur.

Nunc scriptores exquirendos interrogemus, primum quis fuerit auctor[5]) incendii, deinde quamdiu urbs illo incendio arserit, postremo quantum fuerit incendium.

Suetonius aperte dicit Neronem horrea quibus impediretur, ne aedificandi consilia exsequeretur, incendisse, id quod uulgi opinio erat. Tacitus autem cautior est, quod dicit fuisse qui Neronem incendii auctorem esse putassent. Atque reliqui scriptores Neronem illud incendium fecisse sine ulla dubitatione dicunt.

Deinceps uideamus quamdiu urbs incendio flagrauerit. Suetonius[6]) enim testatur „per sex dies septemque noctes ea clade saeuitum esse", Tacitus[7]) „sexto demum die apud imas Esquilias finem incendio factum esse", cuius uerbis non repugnat illud C. I. L. VI 826 „per nouem dies", quod Tacitus ipse sequentibus uerbis dicit „necdum positum metum, et rediisse haut leuius rursum grassatum ignem, patulis magis urbis locis". Itemque apud Orosium scriptum uidemus hoc „per sex dies septemque noctes" et Seneca scripsit haec „sex diebus arsere, septimus pausam dedit". Neque quicquam tituli uerbis „per nouem dies" obstat, quod consentaneum est nonnisi

---

[1]) Verisimillimum est Plinium XXXI libris qui erant de historia suae aetatis, de hoc incendio singulatim disseruisse.

[2]) in epitoma eiusdem nihil de hac re inuenitur.

[3]) conf etiam Nordmeyer, de Octauia fabula, Bonn 1891 p. 14.

[4]) Schanz, röm. Literaturgesch. II 2 p. 84. Num Neronis iussu ille hanc declamationem scripserit, in medio relinquam.

[5]) Profumo l. s. p. 357—464.

[6]) Suet. Nero 38.

[7]) Tac. ann. XV 40.

compluribus diebus interiectis id incendium exstingui potuisse. Neque uero apud Dionem[1]) quicquam aliud scriptum est nisi hoc: *ἐπὶ πλείους καὶ ἡμέρας καὶ νύκτας ὁμοίως ἐγίνετο.* Qua de re Hieronymus atque Eutropius nihil commemorant.

Restat, ut interrogemus quid de magnitudine illius incendii memoriae traditum sit. Tacitus, ut supra dixi, plenam descriptionem fecit, qua in describendo hoc incendio potissimum nitar, quod reliqui scriptores, cum quantum fuerit incendium, breuiter tetegerint, uix in censum ueniunt, excepto Dione, apud quem uerba haec sunt: *τό τε γὰρ Παλάτιον τὸ ὄρος σύμπαν καὶ τὸ θέατρον τοῦ Ταύρου τῆς τε λοιπῆς πόλεως τὰ δύο που μέρη ἐκαύθη.*

Ac ne illud quidem neglegendum est Tacitum[2]) commemorare „peruasisse rumorem ipso tempore flagrantis urbis inisse Neronem domesticam scaenam et cecinisse Troianum excidium praesentia mala uetustis cladibus adsimulantem" id quod reliqui auctores re uera factum esse testantur. Sed, ut hoc ipso loco dicam, facio cum Tacito. Haud scio an ille rumor hoc modo ortus sit. Nero enim, postquam anno LX p. C. n. „quinquennale ludicrum Romae" institutum est „ad morem Graeci certaminis, uaria fama, ut cuncta ferme noua",[3]) quinquennalibus ludis, qui anno LXV p. C. n. editi sunt, poema ab ipso factum, quod inscribitur „Troica", recitauit.[4]) Fortasse autem poema idem fuit, cuius reliquias apud Baehrens[5]) legimus.

Quoniam de auctoribus huius incendii dixi, nunc de incendio ipso pauca dicam.

Incendium illud nocte a. d. XV ad a. d. XIV kal. Iul. in ea parte circi maximi ortum est, quae Palatino Caelioque montibus contigua est. Et „fuere qui adnotarent quartum decimum kal.

---

[1]) Dio LXII 17, 1.

[2]) Tac. ann. XV 39.

[3]) Tac. ann. XIV 20. Suet. Nero 12.

[4]) Dio LXII 29, 1. Iuu. sat. VIII 221. Schol. ad Pers. sat. I 121. Seru. ad Verg. georg. III 36 et ad Aen. V 370. conf etiam Schiller, Nero p. 17. p. 424; eundem, Geschichte d. r. K. I p. 359. Ranke l. s. III 1 p. 119. Profumo l. s. p. 639—670. De ratione inter Neronis „Troica" et „Ἅλωσις" conf Buecheler, zur höfischen Poesie unter Nero, Rh. M. XXVI 1871 p. 235—240. Jahn ed. Pers. p. LXXVII. Schanz l. s. II 2 p. 9. 11.

[5]) Baehrens frgm. poet. Rom. p. 368, 1, non p. 363, ut scripsit Francken in ed. Phars. Lucan. I p. 102 adn. 261. Schol. ad Lucan. III 261 adnotauit ad illud „Tigris" haec: de hoc ait Nero in primo libro [Troicon].

Sextiles principium incendii huius ortum, quo et Senones captam urbem inflammauerint. alii eo usque cura progressi sunt, ut totidem annos mensesque et dies inter utraque incendia numerent".[1]) Sed hae nugae merae! „Vbi per tabernas, quibus id mercimonium inerat, quo flamma alitur, simul coeptus ignis et statim ualidus ac uento citus longitudinem circi corripuit. Neque enim domus munimentis saeptae uel templa muris cincta aut quid aliud morae interiacebat. Impetu peruagatum incendium plana primum, deinde in edita assurgens et rursus inferiora populando anteiit remedia uelocitate mali et obnoxia urbe artis itineribus hucque et illuc flexis atque enormibus uicis, qualis uetus Roma fuit."[2]) Circus maximus igitur totus fere flammis haustus est, quem Nero[3]) mox refecit, nam quattuor annis post per illum circum curru triumphali uectus obelisco Aegyptio, qui erat igni intactus, sacras coronas imposuit.[4]) Itemque templum Herculis Inuicti ad circum maximum igni deflagrauit, quod ipsum quoque paulo post restitutum est. Quatenus autem templa Cereris Liberi Liberaeque, Mercuri, Veneris, Summani, Iuuentatis incendio sint laesa, nihil certi accepimus.

A circo maximo uastum incendium per fora boarium atque holitorium peruasit, id quod facillime fieri potuit, cum illa fora similiter ac forum Romanum multis tabernis circumcluderentur. Et quoniam altissimae insulae ad Tiberis fluminis ripam porrigebantur, ignis quoque usque ad Tiberim flumen serpsit,[5]) quoad flumine incendio finis factus est. Quid? Lignariorum nonne horreis, quae sub Auentino monte sita erant, flammae alebantur? Templorum autem, quae multa hic posita erant, illud Lunae,[6]) quod in maxime septentrionali Auentini montis

[1]) Tac. ann. XV 41. De illis ratiunculis conf Ritter, das Alter der Stadt Rom nach der Berechnung des Quintus Ennius und die fünfzehn Albanischen Könige vor Erbauung Roms, Rh. M. II 1843 p. 494. Grotefend, Miscellen, Rh. M. III 1845 p. 152. 153.

[2]) Tac. ann. XV 38.

[3]) Bunsen, Beschreib. der Stadt Rom III 1 p. 93 Traianum circum refecisse errore putat.

[4]) Suet. Nero 25. Dio LXIII 20, 1 sq.

[5]) iam anno CXCII a. C. n. eo usque ignis peruaserat (Liu. XXXV 40).

[6]) non possum facere cum Gilberto, qui l. s. III p. 35 adn. 1. dicit templum Lunae, cuius Tac. ann. XV 41 mentionem fecit, re uera illud Dianae intellegendum esse; at conf Bunsen l. s. III 1, 412. Becker l. s. p. 456. Richter l. s. p. 209.

parte situm erat, flammis absumptum esse memoriae traditum est. Et reliqua templa, quamquam nihil certi accepimus, tamen plus minusue incendio comprehensa esse puto. Velabro uastato flamma usque ad Palatinum montem diffusa est. Maximam autem partem[1]) opera uetera, quae hic erant posita, igni interierunt. Itemque domus Augustana flammis an correpta sit haud scio. Atque templum Apollinis bibliothecamque non multum aut nihil omnino laesa esse puto, cum ad ipsum annum LXIX p. C. n. Tacitus[2]) adnotauerit „octauo decimo Kalendas Februarias sacrificauisse pro aede Apollinis Galbam". Itemque domus Tiberiana igni integra fuit,[3]) unde Vitellius anno LXIX p. C. n. teste Suetonio[4]) „et proelium et incendium inter epulas prospexit." Atque etiam aedes diui Augusti et bibliotheca illius templi flammis esse intactae uidentur, quod actis fratrum Arualium ad a. d. III Non. Ian. anni LXIX p. C. n. ea refertur.[5]) At domus transitoria quae erat sita in ea parte Palatini montis, quae ad orientem spectat, flammis absumpta est, cuius loco postea domus aurea est aedificata. Neque Iouis Statoris templum incendio fuit integrum. Et domus priuatae quot illis temporibus erant in Palatino monte, ut Scauri, Crassi,[6]) Catuli deflagraerunt. Atque etiam forum Romanum flammis rursus comprehensum est. Quatenus atrium Vestae igni conflagrauerit, ex auctoribus non apparet. At certe prorsus templum eiusdem flammis absumptum est, quod restituerunt Vespasianus et Domitianus[7]) atque id ante annum XCII p. C. n.[8]) Item Regia[9]) atque

[1]) Quod scripsit Dio LXII 18, 2 *τὸ Παλάτιον τὸ ὄρος σύμπαν* incendio deletum esse, quin id in maius auxerit haud dubito. Fortasse enim Dio nihil aliud dixit nisi totum spatium inter Palatinum montem et amphitheatrum Tauri (*καὶ τὸ θέατρον τοῦ Ταύρου*) situm flammis absumptum esse.

[2]) Tac. hist. I 27.

[3]) Preller l. s. p. 185 hanc domum deletam esse iniuria dicit.

[4]) Suet. Vit. 15.

[5]) Henzen, acta fratr. Arual. p. XC 14. conf etiam Plin. n. h. XXXIV 43.

[6]) Plin. n. h. XVII 5 testatur lotos quibus domus eius circumdata esset, tum flammis perisse.

[7]) Cohen I² p. 413 nu. 577—579. p. 457 nu. 347—351. Notizie degli scavi 1900 p. 168 figg. 12 et 13.

[8]) Mart. VII 73, 3.

[9]) iam antea Regia incendio deleta erat uelut anno CXLVIII a. C. n. (Iul. Obs. 19. Liu. ep. nuperrime edita a Kornemann in Beiträge zur alten Geschichte 2. Beiheft 1904 p. 25 col. V 128.), anno XXXVI a. C. n. (Dio XLVIII 42, 5).

Castorum templum, quod Martialis[1]) poeta inter opera a Domitiano ante annum XCIV refecta enumerat, deleta sunt. Praeterea uerisimillimum est aedem diui Iulii rostraque Iulia flammis comprehensa esse. Quod si templa Vestae et Castorum incendio conflagrauerunt, basilicam Iuliam et Saturni aedem plus minusue igni esse afflictas est manifestum, id quod fortasse etiam ex titulo VI 31793[2]) colligi potest. Neque aedificia quae in septentrionali fori parte erant sita, fuerunt flammis integra. Quin curia Iulia igni comprehensa sit, non dubito, quae postea a Domitiano est restituta.[3]) Atque tabernae quotquot ad illud temporis erant,[4]) una cum Graecostasi incendio sunt absumptae. Basilicam autem Aemiliam, quae iam XIV a. C. n. conflagrauerat, iterum incendio comprehensam esse, nihil constat. Quodsi tabernae[5]) quae ante hanc basilicam sitae erant, deletae sunt, ut opinor, item eam flammis intactam non fuisse uerisimile est, quam fortasse Domitianus refecit.[6])

Foro uastato incendium serpsit usque ad Esquilias. Totum enim spatium quod erat inter Veliam et Streniae sacellum flammis absumptum est. „Sexto demum die apud imas Esquilias finis incendio factus, prorutis per inmensum aedificiis, ut continuae uiolentiae campus et uelut uacuum caelum occurreret.“ [7]) Apud Maecenatis igitur hortos, iuxta murum Seruianum, quae pars urbis illis temporibus erat deserta, incendio finis quodam modo factus est.

„Necdum positus metus, et rediit haut leuius rursum grassatus ignis, patulis magis urbis locis; eoque strages hominum minor, delubra deum et porticus amoenitati dicatae latius procidere. Plusque infamiae id incendium habuit, quia praediis Tigellini

---

[1]) Mart. IX 3, 11. Chron. min. I p. 146 ed. M. Becker, zur röm. Topographie, p. 101 qui primus recte cognouit illud Martialis „piosque Laconas“ intellegendos esse Castores.

[2]) qui secundum Jordan, Ephem. epigr. III p. 276 no 27 „in ruderibus basilicae Iuliae uersus Saturni aedem“ inuentus est. De historia basilicae Iuliae ex quo ab Augusto aedificata erat, adhuc nihil certi accepimus; conf Richter l. s. p. 84.

[3]) Hieron. a. Abr. 2105 (senatus h. e. curia Iulia). Chron. min. I p. 146.

[4]) Urlichs, die Tabernen am röm. Forum, Rh. M. XII 1857 p. 220.

[5]) iam anno CCX a. C. n. incendio deflagrauerant (Liu. XXVI 27). Huelsen f. R. 1905 p. 10.

[6]) Stat. silu. I 1, 30.

[7]) Tac. ann. XV 40,

Aemilianis proruperat.“ [1]) Flamma igitur prope a praediis Aemilianis denuo exsuscitata rapacissime per regiones VII et IX peruasit. Potissimum domus priuatae incendio deflagrauerunt, cum opera publica saxo quadrato exstructa obstiterint flammis. Neque enim publicorum operum quae tum interierint, nisi amphitheatri Statilii Tauri, quod erat ad circum Flaminium situm,[2]) mentio fit.[3]) Illud tam exiguum[4]) theatrum, quod erat illius gentis,[5]) non restitutum uidetur esse, cum subsequentibus temporibus nulla usquam eius mentio fiat et amphitheatrum Tauri superuacaneum fuerit. Nam paulo post a Nerone satis magnum amphitheatrum ligneum[6]) „apud campum Martis“ atque a Vespasiano amphitheatrum quod appellabatur Flauium, aedificata sunt. Nescio an Dio amphitheatri illius mentionem fecerit, unde appareat, quousque campi Martii flamma peruaserit. Neque enim opera ab Agrippa facta, diribitorium, pantheum, thermae, basilica Neptuni, flammis comprehensa sunt. Quid enim? An putas scriptores ueteres illa opera deleta esse tradituros non fuisse? Itemque templum Isidis et Serapidis incendio integrum fuit. At theatrum Marcelli igni correptum est, cuius scaenam teste Suetonio [7]) Vespasianus refecit. Quatenus reliqua aedificia, quae erant in campo Martio sita, flammis sint laesa, nihil certi accepimus. Hoc quidem certum est illam regionem non prorsus flammis esse haustam. Tandem Capitolino monte saeuissimo incendio a. d. VI kal. Iul. finis est factus.

Quibus rebus quamuis breuiter expositis satis docuisse uideor, quantum incendium Neronianum fuerit. Quattuordecim regionum quattuor flammis integrae fuerunt, quae sunt: regio I porta Capena, V Esquiliae, VI[8]) alta semita, XIV trans Tiberim. Dissentiunt autem in hac re Piale,[9]) qui dixit regiones I, VI, IX, XIV flammis

---

[1]) Tac. ann. l. s. s.

[2]) de situ nihil certi constat. Becker l. s. p. 643. Gilbert l. s. III p. 329 adn. 3. Richter l. s. p. 243.

[3]) Dio LXII 18, 2.

[4]) Dio LIX 10,6.

[5]) C. I. L. VI 6226. 6227. 6228.

[6]) Tac. ann. XIII 31. Suet. Nero 12.

[7] Suet. Vesp. 19.

[8]) Kiepert-Huelsen, forma urbis Romae, tab. II, huic regioni per errorem notam IV apposuerunt.

[9]) Piale, della grandezza di Roma p. 15.

non uastatas esse, contra Jordan[1]) regiones II, VI, VII, XIV iudicat integras mansisse, Gilbert[2]) regiones V, VI, VII, XIV, Richter[3]) regiones V, VI, XIV. At prorsus uel maximam partem interierunt regiones X Palatium, XI circus maximus, IV templum Pacis. Dissentiunt hac in re Piale,[4]) qui putat regiones III, IV, XI perisse, Jordan[1]) regiones IV uel X, III, XI, Schiller,[5]) von Reumont[6]) regiones III, X, XI.

Reliquae autem septem regiones plus minusue uastatae sunt. Quodsi Tacitus[7]) scripsit „septem reliquis pauca tectorum uestigia superfuisse, lacera et semusta", non est dubium, quin hoc in maius tulerit, id quod ex parte ex Pseudo-Senecae loco[8]) rhetorice ornato: „centum triginta duae domus insulae quattuor scil. milia sex diebus arsere" patet.[9]) Sed Tacitus idem infra[10]) dicit haec: „domuum et insularum et templorum, quae amissa sunt numerum inire haud promptum fuerit." Refecerunt opera publica, quae hoc incendio interierant, Nero et Vespasianus.[11]) Quid? Quod Titus[12]) et Domitianus, quorum temporibus indicia huius incendii uidebantur?[13]) Quamquam illo incendio tota fere urbs absumpta erat, tamen urbi emolumento erat. Namque, ut paucis complectar, angusti atque incompositi uici plateaeque postea

---

[1]) Jordan l. s. I 1 p. 487.

[2]) Gilbert l. s. III p. 35 adn. 2.

[3]) Richter l. s. p. 58. Consentiunt hac in re: Schiller, Nero p. 175. v. Reumont l. s. I p. 328. Reifferscheidt bull. dell'instit. 1865 p. 238. Lanciani, Mitteil. d. arch. Inst. z. Rom IX 1894 p. 97.

[4]) Piale l. s. s.

[5]) Schiller l. s. s.

[6]) v. Reumont l. s. s. Hac in re consentiunt: Buecheler Fleck. Jahrb. f. klass. Phil. CV 1872 p. 567. Gilbert l. s. s. Lanciani l. s. s. Richter l. s. s. Nipperdey in ed. Tac. ann. uol. II p. 248 adn. 13.

[7]) Tac. ann. XV 40.

[8]) Senec. ep. ad Paul. 12.

[9]) Buecheler l. s. p. 566 sq. Jordan l. s. I 1 p. 487—489. Gilbert l. s. s.

[10]) Tac. ann. XV 41.

[11]) C. I. L. VI 931. 933—936. 939. 1257.

[12]) C. I. L. VI 1258.

[13]) conf Mart. VIII 80, 7:

> sic noua dum condis, reuocas, Auguste, priora:
> debentur quae sunt quaeque fuere tibi.

sunt disposite constructi.[1]) Atque pulcherrime dicit Martialis poeta:[2])

> Qualiter Assyrios renouant incendia nidos,
> una decem quotiens saecula uixit auis,
> taliter exuta est ueterem noua Roma senectam
> et sumpsit uultus praesidis ipsa sui.

Satis dictum esse arbitror de incendio Neroniano. Restat, ut pauca addam de ara quae dicitur incendii Neroniani[3].) Domitianus enim in omnibus urbis regionibus aras incendiorum arcendorum causa statuit, incendio Tito imperatore orto commotus, ut solueret uotum, quod, cum flamma longius peruaderet, factum diu erat neglectum nec redditum. Quae arae, quarum una in singulis regionibus posita erat, hac lege sunt dedicatae, „ne cui liceat intra hos terminos aedificium exstruere, manere, negotiari, arborem ponere aliudue quid serere, et ut praetor, cui haec regio sorti obuenerit, sacrum faciat, aliusue quis magistratus Volcanalibus[4]) X k. Septembres omnibus annis uitulo robeo et uerre".[5]) Tres[6]) arae adhuc effossae sunt, quarum altera,[6]) cui Huelsen notam „b" apposuit, stetit in Quirinali monte iuxta ipsam domum gentis Flauiae, altera,[7]) cui notam „c" apposuit, non longe ab eo loco, ubi incendium ortum esse traditur.

Atque haec quidem hactenus, nunc dicamus de incendiis,

---

[1]) uberius de hac re infra disseram.

[2]) Mart. V 7. conf etiam Senec. ad Lucil. ep. XIIII 3 (91), 13: Timagenes felicitati urbis inimicus aiebat Romae sibi incendia ob hoc unum dolori esse, quod sciret meliora surrectura quam arsissent.

[3]) uberius de illa ara disseruerunt Dirksen, über ein epigraphisches Zeugnis von der Weihung des zur Zeit des Neron. Stadtbrandes gelobten Heiligtums in Rom, Abhandlungen der Berl. Akad. d. W. 1861 phil.-hist. Klass., p. 1 sq. Huelsen, Denkmäler des neron. Brandes, Mitteil. d. arch. Inst. z. Rom IX 1894 p. 94. Profumo l. s. p. 177. 179. 481. 482. 495. 699. 707. 713.

[4]) de Volcanalibus infra uberius disseram.

[5]) C. I. L. VI 826 = 30837, non 30833, ut scripsit Wissowa, Religion u. Kultus der Römer, p. 185 adn. 9. Orelli I no 736 qui lacunam tituli non esse dixit mutauitque ex libidine uelut aream pro aram, quem secutus est Preller, die Regionen der Stadt Rom 1846 p. 77.

[6]) Lanciani, notizie degli scavi 1888 p. 493; ibidem 1890 p. 159. 160. idem bull. comm. 1889 p. 331—339; 379—391. Huelsen, Mitteil. d. arch. Inst. z. Rom IV 1889 p. 275. ibidem VI 1891 p. 116. ibidem IX 1894 p. 94. idem Rh. M. IXL 1894 p. 401. Richter l. s. p. 294. Preller(-Jordan) röm. Mythologie II³ p. 154.

[7]) Richter l. s. p. 209.

quibus proximis temporibus „urbs uastata est, consumptis antiquissimis delubris“ teste Tacito.[1])

Galba

imperatore *templum diui Augusti* quod erat situm in Palatino monte, de caelo tactum conflagrauit[2]) atque id post a. d. III Non. Ian. anni LXIX p. C. n., cum in acta fratrum Arualium[3]) ad hunc diem relatum sit. Ante autem annum LXXXVIII p. C. n. Domitianus hoc templum restituit.[4])

Anni LXX p. C. n. a. d. XIV kal. Ian. *Capitolium* quod uixdum erat restitutum, iterum flammis est absumptum.[5]) Vitelliani enim omnia, quae circum Capitolium erant, incenderant. Et igni quo domus uicinae conflagrauerant, *templum Iouis Optimi Maximi* ipsum quoque, cuius fastigium erat ligneum, est comprehensum. Quo loco „prominens porticus“ fuerit, cuius Tacitus[6]) mentionem fecit, unde flamma rapax in templum ipsum se diffudit, affirmari non potest. Sed fortasse fuit porticus, qua area, in qua illud templum erat positum, ornata erat. Item *tabularium* quod erat situm in ea parte montis, quae spectat ad forum, flammis absumptum esse manifestum est, cum in Capitolio reficiendo Vespasianus, qui teste Suetonio[7]) „ruderibus purgandis manus primus admouit ac suo collo quaedam extulit, aenearum tabularum tria milia, quae simul conflagrauerant, restituenda susciperet, undique inuestigatis exemplaribus: instrumentum imperii pulcherrimum ac uetustissimum, quo continebantur paene ab exordio urbis senatus consulta, plebi scita de societate et foedere ac priuilegio cuicumque concessis“. De Capitolii ipsius restitutione

---

[1]) Tac. hist. I 2. Plin. n. h. XXXV 3; XXXVI 110. Mart. V 7. Suet. Vesp. 8. Aurel. Vict. epit. 9, 8.

[2]) Plin. n. h. XII 94. Suet. Galb. 1. *Gilbert* l. s. III p. 132 adn. 1. *Richter* l. s. p. 153.

[3]) *Henzen* l. s. p. XC.

[4]) Mart. IV 53: templum nouum h. e. diui Augusti.

[5]) Plin. n. h. XXXIII 154. Suet. Vit. 15; Dom. 1. Tac. hist. I 2; III 71. 75; IV 54. Dio LXV 17. 18. Plut. Popl. 15. Aurel. Vict. Caes. 8, 5; 9, 7. Oros. VII 8, 7. Philostr. Apoll. epit. 5, 30 ed. Kays. Hieron. a. Abr. 2086. Stat. silu. V 3, 195 qui bellum Vitellianum uersibus descripserat, quo libro Capitolium incensum uberrime exposuisse atque Lucani librum, qui inscribitur *incendium Vrbis*, ad imitandum sibi uidetur proposuisse. conf *Vollmer* ad Stat. l. s. s.

[6]) Tac. hist. III 71.

[7]) Suet. Vesp. 8.

autem Tacitus[1]) et Dio[2]) plenius atque uberius edocent. Anno enim LXX p. C. n.[3]) „curam restituendi Capitolii in Lucium Vestinum confert“ Vespasianus, quamquam Heluidius censuerat, ut Capitolium publice restitueretur.[4]) „Ab eo contracti haruspices monuere ut reliquiae prioris delubri in paludes aueherentur, templum isdem uestigiis sisteretur[5]): nolle deos mutari ueterem formam. undecimo Kalendas Iulias serena luce spatium omne, quod templo dicabatur, euinctum uittis coronisque; ingressi milites, quis fausta nomina, felicibus ramis; dein uirgines Vestales, cum pueris puellisque patrimis matrimisque, aqua [trimis] e fontibus amnibusque hausta perluere. tum Heluidius Priscus praetor, praeeunte Plautio Aeliano pontifice, lustrata suouetaurilibus area et super caespitem redditis extis Iouem Iunonem Mineruam praesidesque imperii deos precatus uti coepta prosperarent sedesque suas pietate hominum inchoatas diuina ope attollerent, uittas quis ligatus lapis innexique funes erant contigit. simul ceteri magistratus et sacerdotes et senatus et eques et magna pars populi,[6]) studio laetitiaque conixi, saxum ingens traxere. passimque iniectae fundamentis argenti aurique stipes et metallorum primitiae, nullis fornacibus uictae, sed ut gignuntur: praedixere haruspices, ne temeraretur opus saxo auroue in aliud destinato. altitudo aedibus adiecta: id solum religio adnuere et

---

[1]) Tac. hist. IV 53.

[2]) Dio LXVI 10, 2.

[3]) Euseb. a. Abr. 2088 h. e. LXXIV p. C. n. et Hieron. a. Abr. 2089 h. e. LXXV p. C. n. errauerunt.

[4]) Tac. hist. IV 4. 9.

[5]) secundum *Cohen* I^2 p. 405 nu. 486—493; p. 449 nu. 242. 243 nouum templum hecatonstylon Corintheum fuit. Conf etiam *E. Schulze*, über die Giebelgruppe des kapitolin. Iuppitertempels, Archaeol. Ztg. n. s. V 1873 p. 2. *Jordan* l. s. I 2 p. 88 adn. 2. *Richter* l. s. p. 126. Notandum est quod *Richter* in citandis nummis libros *Coheni* modo primum editos modo iterum recognitos adhibuit, quod nonnullis exemplis confirmabo: *Richter* l. s. p. 126: „Coh. Vesp. 409. Tit. 270. 271.“ h. e. Coh. I^2 p. 405 nu. 490; p. 449 nu. 242. 243. R. p. 89: „Coh. Iulia Domn. 3. 205“ h. e. Coh. IV^2 p. 124. 125. nu. 232—245. R. p. 126 adn. 2: „Coh. Dom. 1. 69. 71.“ h. e. Coh. I^2 p. 471 nu. 23; p. 485 nu. 172—174. R. p. 152: „Coh.^{2} Antoninus 797—810.“ h. e. Coh. II^1 p. 393 nu. 841—843; „Coh.^{2} Caligula 9—11“ h. e. Coh. I^1 Calig. nu. 18—20. R. p. 93: „Coh. Hadrian. 416—419“ h. e. Coh. (II^2 p. 141) nu. 416—419. R. p. 115: „Coh. Traian. 167“ h. e. Coh. (II^2 p. 35) nu. 167. R. p. 281: „Coh. Hadrian. 162. 163.“ h. e. Coh. (II^2 p. 117) nu. 162. 163; „Coh. Traian. 20—25“ h. e. Coh. (II^2 p. 19. 20) nu. 20—25.

[6]) Suet. Vesp. 8.

prioris templi magnificentiae defuisse credebatur.“ Quod templum perfectum est fortasse ante annos LXXII uel LXXIII.[1]) Regio igitur VIII rursus flammis uexata est.

Quamquam de uastis incendiis

Vespasiani

temporibus Romae ortis nihil certi accepimus, tamen intra hos decem annos urbem incendiis uexatam esse apparet ex locis Taciti, Suetonii, Aurelii Victoris a me laudatis.[2])

Incendio autem saeuissimo, quod fere incendio Neroniano adaequat,

Tito

imperatore Romae aedificia cum sacra tum profana, quae Dio enumerat, absumpta sunt. Namque a. d. IX kal. Sept. anni LXXIX p. C. n. Vesuuii montis incendio pulcherrima Campaniae ora foede uastata, ineunte anno LXXX p. C. n.[3]) cum Titus ad uisendam Campaniae calamitatem profectus erat, incendium illud ortum est, quo per triduum totidemque noctes imprimis campus Martius uastatus est et Capitolium.[4]) Quae fuerit causa huius calamitatis, nihil certi constat. Neque enim Dio scripsit nisi *οὕτω τε τὸ κακὸν οὐκ ἀνθρώπινον ἀλλὰ δαιμόνιον γενέσθαι.*

Videamus nunc quae aedificia templaque flammis sint comprehensa. Saepta Iulia enim, quae Neroniano incendio fuerant integra, magnam partem igni conflagrauerunt, quae postea ab Hadriano sunt restituta.[5]) Quodsi iam Domitiano imperatore illorum saeptorum mentio fit, Reber recte id interpretatum esse puto, qui dicit haec: eine Wiederherstellung wird erst von Hadrian berichtet, und doch finden sich unter Domitian die Saepta mehrfach, aber zu ganz anderem Gebrauch, erwähnt. Die Sache ist unschwer zu erklären. Die Anlage konnte nur teilweise zerstört sein; doch wozu brauchte man die vollständige Umfriedigung, wozu den weiten Ver-

[1]) Coh. I^2 p. 449 nu. 242. 243. Aurel. Vict. Caes. 9, 7. Plut. Popl. 15. C. I. L. VI 31422. Secundum Aurel. Vict. Caes. 11, 4 esse fortasse uerisimile uideri potest Domitianum hoc templum perfecisse.

[2]) conf p. 28 adn. 1.

[3]) Schiller, röm. Kaisergesch. I p. 519 errore dicit anno LXXXIII p. C. n. hoc incendium ortum esse.

[4]) Suet. Tit. 8. Domit 5. 20. Dio LXVI 24, 1. Plut. Popl. 15. Oros. VII 9, 14. Aurel. Vict. epit. 10, 12. Hieron. a. Abr. 2096.

[5]) uit. Hadr. 19.

sammlungsplatz. Die erhaltenen Hallen aber waren zum römischen Bazar geworden, «wo Rom seine goldenen Schätze feilbot» (Mart. IX 59. X 80) und zum Tummelplatz für neugierige Müßiggänger. Daß auch von Hadrian die Saepta nicht in ihrer ursprünglichen Gestalt hergestellt wurde, wozu auch das bereits vollständig entwickelte Kaisertum keinen Anlaß mehr bot, sehen wir aus den erhaltenen Planfragmenten.“[1]) Itemque diribitorium, de cuius situ nihil aliud accepimus nisi iuxta Saepta Iulia fuisse,[2]) ex parte flammis absumptum est. Neque uero constat postea illud refectum esse. Atque etiam basilica Neptuni incendio comprehensa est, quae paulo post instaurata est, haud dubie ante annum LXXXVII p. C. n.[3]) Praeterea Isidis et Serapidis templum atque pantheum, quae anno LXIV p. C. n., ut supra dixi, item igni integra fuerant, flammis perierunt. Illud a Domitiano anno XC p. C. n. refectum est, hoc ab eodem circiter anno XCIV p. C. n.[4]) Interierunt etiam thermae Agrippae, quae ipsae quoque ante annum LXXXVII p. C. n. a Domitiano redintegratae sunt.[5]) Neque integrum fuit flammis hecatonstylon. Quamquam nihil certi de illius restitutione accepimus, tamen fortasse huc spectat etiam illud Dionis[6]) *ὁ δ᾽οὖν Τίτος ..... ἀνέστησε μέντοι καὶ ἐκ τῶν ὑπαρχόντων πάντα.* Praeterea theatrum Pompei, quod ipsum quoque Neroniano incendio effugerat, flammis absumptum est, quod refectum esse apparet ex Dionis l. s. s.[7])

A theatro Pompei autem flamma serpsit usque ad theatrum Balbi, quod ex parte deletum est. Nequedum anno XCVIII p. C. n.

[1]) Reber, die Ruinen Roms, 1879 p. 280. conf etiam Gilbert l. s. III p. 175 adn. 3. Becker l. s. p. 633 non uerisimile esse putat neque Domitianum neque Traianum saepta refecisse. Quid? Quod Richter l. s. p. 231 dicit Domitiano imperatore saepta Iulia denuo aedificata esse?

[2]) Richter l. s. p. 233.

[3]) Mart. III 20, 11: spatia Argonautarum h. e. basilica Neptuni.

[4]) Eutrop. VII 23. Chron. min. I p. 146. Hieron. a. Abr. 2105. Cassiod. chron. 9 ad a. XCIV p. C. n.

[5]) Mart. III 20, 15; 36, 6. X 51, 12. Reber l. s. p. 252 dicit thermas Agrippae tum non absolute restitutas esse, cum Hadriano quoque imperatore eas refectas esse commemoraretur (uit. Hadr. 19). Illius sententia stare non potest, cum illud uit. Hadr. ad incendium annis CXI/CXII p. C. n. ortum spectet.

[6]) Dio LXVI 24, 4.

[7]) conf Mart. X 51, 11.

illud renouatum esse uidetur, cum Martialis poeta[1]) nisi theatrorum Pompei et Marcelli mentionem non fecerit; refectum esse elucet ex illo notit. reg. urb. XIV „(theatrum) Balbi qui capit loca XI. DX“[2]) Porticus etiam Octauiae bibliothecaque, fortasse Philippi porticus, quae erat iuxta illam porticum, flammis sunt comprehensae. Verisimillimum est porticum Octauiae bibliothecamque paulo post a Domitiano instauratas esse.[3]) Neque scio an circus Flaminius et Apollinis templum incendio integrum non fuerit. Praeterea porticus Minuciae flammis laesa est, quam idem Domitianus refecit.[4]) Et uerisimile est scaenam theatri Marcelli plus minusue igni comprehensam ante annum XCVIII p. C. n. refectam esse.[1]) Atque rursus Iouis Optimi Maximi templum decem annis ante denuo dedicatum flammis deflagrauit, cui restituendo eodem anno Titum manum admouisse apparet ex fratrum Arualium actorum uerbis quae sunt[5]): „VII idus Decembres in Capitolio in aedem Opis sacerdotes conuenerunt ad uota nuncupanda ad restitutionem et dedicationem Capitoli“. Idem Domitianus hoc templum perfecit.[6]) Quo anno finitum sit opus, reticent scriptores; at egregie nummi[7]) testantur anno LXXXII p. C. n. illud templum absolutum esse. Atque etiam templa, quae essent illi Iouis Capitolini uicina igni esse consumpta Dio auctor est. Neque uero quae fuerint singula templa, inuestigari potest. Restituta autem esse templa illa a Domitiano commemorat Orosius.[8])

Ex his quae exposui satis intellegi posse puto hoc tam uasto incendio regiones VIII et IX maximam partem uexatas esse. Venimus nunc ad incendia, quibus

---

[1]) Mart. X 51, 11.

[2]) Jordan l. s. II p. 555.

[3]) Suet. Dom. 20. Gilbert l. s. III p. 249 adn. 1. Richter l. s. p. 219. Cum Rebero qui l. s. p. 217 dicit porticum Octauiae tum restitutam non esse, non possum facere. Neque enim uerisimillimum est illam per CXX annos dirutam iacuisse atque demum a Septimio Seuero (C. I. L. VI 1034) refectam esse.

[4]) Chron. min. I p. 146.

[5]) Henzen l. s. p. CVI. Coh. I² p. 450 nu. 244.

[6]) Suet. Dom. 5. 8. Plut. Popl. 15, 2. Eutrop. VII 15. Aurel. Vict. Caes. 11, 4. Chron. min. l. s. s. Hieron. a. Abr. 2105. Stat. silu. I 6, 102; IV 3, 16. Mart. IX 3, 7; XIII 74, 2. Sil. Ital. Punic. III 622.

[7]) Coh. I² p. 471 nu. 23; p. 480 nu. 172. 173. 174? conf etiam E. Schulze, Archaeol. Ztg., n. s. V 1873 p. 2. Monumenti inediti dell' Instit. V tab. 36. Preller (-Jordan) l. s. I³ p. 238 adn. 1.

[8]) Oros. VII 10, 2.

Domitiani

temporibus urbs Roma uastata est. Templum enim diui Augusti in Palatino monte situm bibliothecaque flammis est comprehensa[1]) inter annos LXXXVIII et CI p. C. n. Namque elucet ex Martialis[2]) poetae uerbis

> „hunc, quem saepe uides intra penetralia nostrae
> Pallados et templi limina, Cosme, noui“

h. e. templi diui Augusti etiam anno LXXXVIII p. C. n. id templum fuisse, atque ex eiusdem uerbis[3])

> „iure tuo ueneranda noui pete limina templi
> reddita Pierio sunt ubi tecta choro“

paulo ante h. e. ante annum CI p. C. n. restitutum esse. Domitianus autem bibliothecam „impensissime reparare curauit exemplaribus undique petitis, missisque Alexandream qui describerent emendarentque“[4]) quod Birt[5]) hoc modo explicat: „Es scheint, daß es für die Unzahl von Apographa, die hier auf einmal hergestellt werden sollten, in Rom nicht genug griechisch redender Sklaven gab“. Tum quoque bibliothecam Domitianus ex templo illo uidetur remouisse,[3]) quo postea Traianus reduxit.[6]) Atque facile intellegi potest Domitianum ipsum quoque templum diui Augusti refecisse.

Altero incendio Domitiano imperatore orto circus maximus flammis rursum est haustus. Quo anno factum sit, non constat, sed fortasse altera imperii parte Domitiani. Secundum Suetonium[7]) enim sunt „deusta utrimque latera“. At uidetur ea pars circi, quae spectat in meridiem, paulum deleta esse, quod arcus Titi et Vespasiani, qui anno LXXXI[8]) hic erat exstructus, igni integer fuit. Lapidibus autem naumachiae Domitiani circus denuo aedifi-

---

[1]) Suet. Dom. 20. Gilbert l. s. III p. 132 adn. 2.

[2]) Mart. IV 53.

[3]) Mart. XII 3, 7 sq.

[4]) Suet. Dom. 20. Aurel. Vict. epit. 11, 4. Eutrop. 7, 23. Chron. min. I p. 146.

[5]) Birt, antikes Buchwesen 1882 p. 364.

[6]) Hirschfeld, kaiserl. Verwaltungsbeamte 1905 p. 300. Gilbert l. s. III p. 132 adn. 3. Friedlaender ad Mart. l. s. s.

[7]) Suet. Dom. 5. 7.

[8]) non anno LXXX p. C. n. ut scripsit Gilbert l. s. III p. 190 adn. 3. C. I. L. VI 944. Mommsen, Sitzungsber. der k. sächs. Ges. der W. II 1850 p. 308.

catus est,[1]) quem Traianus anno CIII p. C. n. absoluit.[2]) Huc spectat fortasse illud obscurum Pausaniae[3]) *οἰκοδόμημα ἐς ἵππων δρόμους προῆκον καὶ ἐς δύο σταδίων μῆκος,* quod iam Friedlaender[4]) suspicatus est.

Domitiani igitur temporibus regiones X et XI igni sunt uexatae.

Nerua

imperatore Romam incendiis uastatam esse Aurelius Victor memoriae prodidit.[5]) Neque uero ullo modo cognosci potest, quo anno, qua in urbis parte illa sint orta.

Traiani

atque

Hadriani

temporibus „multo perniciosius quam sub Nerua incendia facta esse“ praeter Aurelium[5]) testatur Juuenalis poeta.[6])

Duobus enim incendiis, quantum accepi, urbs Roma Traiano imperatore deleta est, quorum altero anno CIV p. C. n. orto „aurea domus a Nerone totis priuatis publicisque rebus impensis condita repentino conflagrauit, ut intellegeretur missa etiam ab alio persecutio in ipsius potissime monumentis, a quo primum exorta esset, atque in ipso auctore puniri.“ [7]) Quae domus postea restituta non est. Fortasse item domus Augustana, quae erat magnificentissime denuo a Domitiano[8]) aedificata flammis est

[1]) Suet. Dom. 5. 7.

[2]) Dio LXVIII 7, 2. Plin. Paneg. 51. Coh. II^{2} p. 73 nu. 545. Titulus VI 955 (ann. CIII p. C. n.) continet gratias, quas egit imperatori populus Romanus, „quod liberalitate optimi principis commoda eorum etiam locorum scil. IↃↃ adiectione ampliata sunt“. Huebner, iscrizioni esistenti sui sedili di teatri ed anfiteatri antichi, monumenti ed annali dell' instituto 1856 p. 59 quem secuti sunt Dierauer in Buedingers Untersuchg. zur röm. Kaisergesch. I p. 59. Friedlaender S.-G.R. II^{5} p. 285, at II^{6} p. 323 adn. 5. Contra Mommsen ad C. I. L. VI 955 et R. St.-R. III 1 p. 446 adn. 3.

[3]) Paus. V 12, 6.

[4]) Friedlaender l. s. II^{6} p. 323 adn. 4.

[5]) Aurel. Vict. ep. 13, 12.

[6]) Juu. sat. III 197.

[7]) Oros. VII 12, 4. Hieron. a. Abr. 2120. Becker l. s. p. 434 „quod domus aurea Traiano imperatore conflagrauerit, mirum esse dicit. At Vespasianus non totam Neronis molem demolitus est, sed partem quandam. Gilbert l. s. III p. 180.

[8]) Plut. Popl. 15. Mart. I 70. VIII 36, 11 sq.; 39, 1 sq.; 60, 1 sq. IX 13, 8; 79, 4. XII 15. Stat silu. I 1,24. IV 2, 18 sq.

comprehensa, nam testibus tegulis[1]) Hadrianus et Pius eam restituerunt.

Septem annis post alterum incendium in urbe ortum est. Pantheum enim anno CXI p. C. n. fulmine ictum iterum concrematum est.[2]) Circiter autem anno CXXV p. C. n. Hadrianus, qui in pantheo quoque ius dicebat,[3]) illud refecit,[4]) id quod apparet etiam ex tegulis effossis. Neque unquam ex illo tempore hoc templum, quantum scio, flammis est comprehensum. Quid mirum? Neque enim ullo modo fieri potuit, ut pantheum ab Hadriano restauratum exardesceret, cum a fundamentis ad tholum esset constructum solis testis atque lapidibus.[5]) Atque etiam thermas Agrippae igni correptas esse uerisimillimum est, nam auctor uit. Hadr. testatur illum „instaurauisse lauacrum Agrippae“. Quid? Quod fortasse e loco uit. Hadr. laudato elucet plurimas quoque aedes sacras, quae erant in campo Martio sitae, illo incendio integras non fuisse. Nam inter opera publica, quae Hadrianus refecerit, auctor ille enumerat praeter pantheum et lauacrum Agrippae saepta Iulia, basilicam Neptuni, multa templa. Atque huc spectat etiam titulus VI 979: IM p. CAESAR. Diui traiani parthici fil. || Diui neRVAE . NEPOs traianus hadrianus augustus || pontifeX . MAXIMVS trib. potest ... cos ... imp. ... p. p. || HAS . AEDES . INCENDIO consumptas restituit (?) ...... || GAIVS . MARCVS . PVBLIVs .... ET. InCENDIO . VEXATas ....

Atque Jordan[6]) ex semustis lignis et semiliquefacto aere, quae sunt inuenta in ea fori parte quae ad occidentem spectat, colligi posse putat Traiani temporibus hanc urbis partem incendio deletam esse, quod non nego.

Quae cum ita sint, Traiano imperatore regiones IV, VIII, IX, X igni sunt ex parte correptae.

Antonini Pii

aetate complura incendia sunt in urbe Roma orta. Inter annos

[1]) Gilbert l. s. III p. 181 adn. 2.

[2]) Oros. VII 12, 5. Hieron. a. Abr. 2127.

[3]) Dio LXIX 7, 1.

[4]) uit. Hadr. 19.

[5]) Richter, archaeolog. Anzeiger 1893 p. 1 sq. Huelsen, Mitteil. d. arch. Inst. z. Rom VIII 1893 p. 305 sq. Gardthausen, 'Augustus II 2 p. 430—431.

[6]) Jordan l. s. I 2 p. 285.

enim CXLIII et CLXI p. C. n. Graecostadium ad forum situm flammis absumptum est, quod a Pio ipso restitutum est.[1])

Saeuo etiam incendio trecentas quadraginta insulas uel domos absumptas esse uitae Pii auctor commemorat,[2]) reticet quo anno qua in urbis parte id ortum sit. At uerba Gellii:[3]) „nos ergo familiares eius circumfusi undique eum prosequebamur domum, cum inde subeuntes montem Cispium conspicimus insulam quandam occupatam igni multis arduisque tabulatis editam et propinqua iam omnia flagrare uasto incendio“ et quae sequuntur, fortasse etiam huc spectant, praesertim cum ille mons domibus atque insulis frequens esset. Quid uero? Fortasse etiam amphitheatrum Flauium hoc incendio comprehensum est, cum a Pio restauratum esse memoriae sit traditum.[4]) Vt eorum, quae dixi, summam faciam, illo anno regiones III et IV maximam partem incendio uexatas esse arbitror.

Atque fortasse uerisimile esse uideri potest Pii temporibus item templum diui Augusti flammis absumptum esse. Namque ex nummis[5]) apparet inter annos CLVIII et CLX hoc templum Pium refecisse.

De incendiis

Marco Aurelio Antonino

imperatore Romae ortis nihil certi constat. At

Commodi

temporibus duobus uastissimis incendiis[6]) urbs Roma uexata est, quorum alterum anno CLXXXIX p. C. n. ortum est, alterum anno CXCII p. C. n. Praeterea incendii anno CXCII p. C. n. facti mentionem fecerunt Dio,[7]) Herodianus,[8]) Galenus.[9])

---

[1]) uit. Pii 8. Huc spectat etiam titulus in bull. comm. 1899 p. 148: ...... [An]toninus ...... imp. II ...... [r]estituit.

[2]) uit. Pii 9.

[3]) Gell. noct. att. XV 1, 2 sq.

[4]) uit. Pii 8.

[5]) Coh. II² p. 349 nu. 797—810.

[6]) Hieron. a. Abr. 2204 et 2208. Oros. VII 16, 3.

[7]) Dio LXXII 24, 1.

[8]) Herod. I 14, 2—6.

[9]) Galen. de comp. med. I 1. Auctor Commodi uitae nihil hac de re commemorat. De incendiorum illorum auctoribus uberius disseruit Johannes Zuercher in Bueding. Unters. z. r. Kaisergesch. I p. 246, quem effugit Orosii locus s. s.

Breuissime hic auctores incendiorum illorum mihi considerare liceat. Hieronymus enim testatur anno CLXXXIX p. C. n. Capitolium fulmine ictum, bibliothecam, uicinas aedes concrematas esse, incendio anno CXCII p. C. n. orto Palatium et Vestae templum maximamque urbis partem. Apud Orosium[1]) autem qui quibus annis facta sint, non testatur, scriptum uidemus hoc: „fulmine Capitolium ictum, ex quo facta inflammatio bybliothecam illam, maiorum cura studioque compositam, aedesque alias iuxta sitas rapaci turbine concremauit“ atque id anno CLXXXIX p. C. n.; „deinde aliud incendium postea Romae exortum aedem Vestae et Palatium plurimamque urbis partem solo coaequauit“ idque anno CXCII p. C. n. Neque uero Dio et Herodianus, ut supra dixi, nisi uasti incendii anno CXII p. C. n. orti mentionem faciunt. Teste enim Dione in quibusdam aedibus noctu incendium excitatum est, Herodiano notum non erat quo modo ignis esset ortus. Et Dio[2]) testatur *ὅτι πῦρ τε νύκτωρ ἀρθὲν ἐξ οἰκίας τινὸς καὶ ἐς τὸ Εἰρηναῖον ἐμπεσὸν τὰς ἀποθήκας τῶν τε Αἰγυπτίων καὶ τῶν Ἀραβίων φορτίων ἐπενείματο, ἔς τε τὸ παλάτιον μετεωρισθὲν ἐσῆλθε καὶ πολλὰ πάνυ αὐτοῦ κατέκαυσεν, ὥςτε καὶ τὰ γράμματα τὰ τῇ ἀρχῇ προσήκοντα ὀλίγου δεῖν πάντα φθαρῆναι.* Teste autem Herodiano *εἴτε σκηπτοῦ νύκτωρ κατενεχθέντος εἴτε καὶ πυρός ποθεν ἐκ τοῦ σεισμοῦ διαρρυέντος πᾶν τὸ τῆς εἰρήνης τέμενος κατεφλέχθη ..... καταφλέξαν δὲ τὸ πῦρ τόν τε νεὼν καὶ πάντα τὸν περίβολον, ἐπενεμήθη καὶ τὰ πλεῖστα τῆς πόλεως καὶ κάλλιστα ἔργα, ὅτε καὶ τῆς Ἑστίας τοῦ νεὼ καταφλεχθέντος .... κατεφλέχθη δὲ καὶ ἄλλα πλεῖστα τῆς πόλεως μέρη κάλλιστα.* Herodianus igitur non commemorat Palatium esse deletum, quod secundum Dionem et Hieronymum flammis periit. Neque Dio testatur Vestae templum igni esse consumptum, testantur Herodianus atque Hieronymus.

Atque etiam de fine incendii anno CXCII p. C. n. orti dissentiunt Dio et Herodianus. Namque Dio[3]) memoriae tradidit *ὅτι οὐδὲ γὰρ κατασβεσθῆναι ἀνθρωπίνῃ χειρὶ ἠδυνήθη, καίτοι παμπόλλων μὲν ἰδιωτῶν παμπόλλων δὲ στρατιωτῶν ὑδροφορούντων, καὶ αὐτοῦ τοῦ Κομμόδου ἐπελθόντος ἐκ τοῦ προαστείου καὶ ἐπισπέρχοντος. ἀλλ' ἐπειδὴ πάντα ὅσα κατέσχε διέφθειρεν, ἐξαναλωθὲν*

---

[1]) Oros. VII 16, 3.

[2]) Dio LXXII 24, 1.

[3]) Dio LXXII 24, 3.

ἐπαύσατο. At Herodianus testatur *ὅτι οὐδὲ πρότερον ἐπαύσατο πρὶν ἢ κατενεχθέντες ὄμβροι ἐπέσχον αὐτοῦ τὴν ὁρμήν. ὅθεν καὶ τὸ πᾶν ἔργον ἐξεθειάσθη, πιστευόντων κατ' ἐκεῖνο καιροῦ τῶν τότε ἀνθρώπων ὅτι γνώμῃ θεῶν καὶ δυνάμει ἤρξατό τε τὸ πῦρ καὶ ἐπαύσατο.* Neque imperatorem ipsum qui ipsa Roma tum fuit,[1]) incendio sedando interfuisse Herodianus memoriae tradidit.

Dixi de auctoribus illorum incendiorum, dicam nunc de incendiis ipsis, et dicam primum de incendio anno CLXXXIX p. C. n. orto. Capitolium igitur de caelo tactum conflagrauit, neque tamen totum. Quod templum esse restitutum quamquam nihil certi accepimus, tamen luce est clarius. Et rapaci turbine alia aedificia iuxta illud sita deflagrauerunt, in quibus bibliotheca testibus Hieronymo atque Orosio. Neque uero quicquam certi de illa bibliotheca, quae in Capitolino monte sita esset, habemus praeter hos Hieronymi et Orosii locos. Sunt[2]) autem qui putent hanc bibliothecam item ab Hadriano constitutam cum Athenaeo coniunctam esse. At Jordan[3]) refutat sententias quas illi protulerunt idque iusto iure. Namque ubi esset situm Athenaeum, crassis occultatum et circumfusum tenebris latet. Becker[4]) autem arbitratur illam bibliotheca porticus Octauiae Hieronymum atque Orosium falso nomine nominasse, quod mihi uerisimillimum uidetur esse, praesertim cum ex titulo VI 1034 = 31231 (notizie degli scavi 1887 p. 448. bull. comm. 1887 p. 332) appareat anno CCIII p. C. n. a Seuero et Caracalla porticum Octauiae esse restitutam, postquam incendio deleta sit, id quod ad incendium anno CLXXXIX p. C. n. ortum spectare puto. Quae fuerint alia aedificia hoc incendio deleta, inuestigari non potest.

Restat igitur, ut doceam de altero incendio, quod breui ante Commodi mortem est factum. Ignis enim ortus est in aedificio priuato, quod erat iuxta Pacis templum situm. Neque prorsus conflagrauit illo incendio Pacis templum.[5]) Herodianum enim

---

[1]) Herod. I 13, 1 sq.

[2]) Preller, die Reg. d. St. R. p. 170 adn. 1; p. 220 adn. 1. Gilbert l. s. III p. 340. Hirschfeld l. s. p. 301. Ihm, die Bibliotheken in Rom, Centralblatt für Bibliothekswesen 1893 p. 521.

[3]) Jordan l. s. I 2 p. 30 adn. 31; p. 61, quem secutus est Richter l. s. p. 249.

[4]) Becker l. s. p. 394 adn. 765; contra Jordan l. s. I 2 p. 30 adn. 31.

[5]) Mirum est, quod annalium scriptores templum Pacis neque a Vespasiano aedificatum neque tum flammis comprehensum esse testantur.

atque Galenum hoc in maius tulisse arbitror. Erant[1]) qui hoc templum non restitutum esse putarent. Namque semel proximis temporibus templi Pacis mentionem fieri[2]) ita ut restitutum uideatur esse Becker dicit. At restitutioni illius obstare arbitrantur haec Procopii[3]) uerba *τὸν τῆς Εἰρήνης νεὼν κεραυνόβλητον γενόμενον ἐκ παλαιοῦ κεῖσθαι* ita ut Nibby putauerit numquam illud refectum esse, quam sententiam secutus est Reber,[4]) cum Niebuhr dicat templum quod fulmine Iuppiter Optimus Maximus occupasset, alii numini diuino dedicandum non esse. Atenim scriptores omnino non affirmant illo anno templum de caelo tactum esse, nam Herodianus[5]) ipse dilucide dixit *εἴτε σκηπτοῦ νύκτωρ κατενεχθέντος εἴτε καὶ πυρός ποθεν ἐκ τοῦ σεισμοῦ διαρρυέντος πᾶν τὸ τῆς εἰρήνης τέμενος καταφλεχθῆναι* atque aperte Dio[6]) *πῦρ τε νύκτωρ ἀρθὲν ἐξ οἰκίας τινὸς καὶ ἐς τὸ Εἰρηναῖον ἐμπεσόν.* Atque etiam hoc est animaduertendum, si Procopii l. s. s. spectaret ad incendium anno CXCII p. C. n. ortum, putandum esse templum ex illo tempore dirutum iacuisse, quocum non modo non illa Trebellii[2]) uerba, sed ne Ammiani Marcellini[7]) quidem haec „forumque Pacis inter haec decora urbis aeternae" congruunt. Verum enimuero restitutum est templum Pacis, et restitutum est a Septimio Seuero. Namque hoc incendio cum alia aedificia ad forum pacis sita tum sacrae Vrbis templum flammis sunt comprehensa, cuius septentrionalis pars aream Pacis templi tangebat. Titulum autem VI 935: [imp. caes. ue]SPASIAN[u]S. AVG. PON[t]. MAX. TRIBVN. [pot. uiiii] || imP. XVIII. P. P. CENSOR. COS. VIII || [impp. caess. s]EVERVS. ET. ANTONINVS. PII. AVGG. FELICES. RESTITVERE[8]) fortasse ad templum sacrae Vrbis spectare Gilbert[9]) putat. Eundemque titulum ad Pacis templum restitutum pertinere arbitror,[10]) praesertim cum templa Pacis et Vrbis eodem tempore ab eodem

---

[1]) Becker l. s. p. 440. Preller l. s. p. 127. Reber l. s. p. 171.

[2]) uit. trig. tyr. 31, 10.

[3]) Procop. Goth. IV 21 p. 570.

[4]) Reber l. s. s.

[5]) Herod. I 14, 2.

[6]) Dio LXXII 24, 1.

[7]) Amm. Marc. XVI 10, 14.

[8]) conf etiam tit. VI 938.

[9]) Gilbert l. s. III p. 186 adn. 3.

[10]) quod iam Richter l. s. p. 3 suspicatus uidetur esse. conf eundem l. s. p. 113.

imperatore aedificata situ inter se cohaeserint. Dicet fortasse quispiam e titulo laudato apparere illud templum anno LXXVIII p. C. n. aedificatum esse, quod teste Dione[1]) anno LXXV p. C. n. dedicatum est. At fortasse titulus ad templum perfectum spectat.[2]) Neque templum sacrae Vrbis, ut supra dixi, flammis integrum fuit, quod idem Septimius Seuerus refecit una cum forma urbis, quae ipsa quoque incendio deleta erat.

Illis templis deletis flamma per Veliam ad Palatinum montem serpsit multis domibus templisque correptis. Ac primum quidem horrea piperataria, quae erant a Domitiano constructa in septentrionali parte sacrae uiae, flammis sunt comprehensa, quae postea fortasse refecta sunt,[3]) quorum loco Maxentius imperator siue iterum perierant siue destructa erant, basilicam aedificauit quam Constantinus dedicauit. Neque est uerisimile Faustinae templum conflagrauisse. Et cum incendium ad horrea piperataria progressum sit, diui Iulii quoque templum uidetur igni integrum fuisse. At Vestae templum incendio absumptum est, quod Iulia Domna, Caracallae mater, refecit.[4]) Item atrium Vestae interiit, quod negat Jordan[5]) cum hoc deletum esse memoriae non sit traditum. Regia autem parum uastata est. Neque Palatium, ut supra dixi, flammis intactum fuit. Bibliothecam enim templi Apollinis incendio consumptam esse testatur Galenus;[6]) tum et aliorum multorum et libros suos interisse. Secundum Dionem tabularium potius

---

[1]) Dio LXVI 15, 1. Joseph. bell. Iud. VII 5, 7.

[2]) Richter l. s. p. 113 scripsit haec: Unter Caracalla brannte das templum Pacis ab. Wie lange das von Septimius Severus wiederhergestellte templum Pacis bestanden hat, ist nicht bekannt. Qui conuenit? Neque enim primum Caracalla imperatore illud templum flammis deletum est. An putas Caracallam in regno successisse Septimio Seuero? Hoc quoque est notandum Gilbert ipsum haec scripsisse (l. s. III p. 135 adn. 3): über den Brand des Heiligtums unter Caracalla, quamquam supra (l. s. III p. 36 adn. 3) dixit Commodo imperatore templum Pacis conflagrasse.

[3]) Richter l. s. p. 164.

[4]) Cohen IV[2] p. 124—125 nu. 232—245. Notizie degli scavi 1899 p. 269.

[5]) Jordan, Tempel der Vesta, 1886 p. 25. De diuersis huius templi constructionibus conf Jordan, bull. comm. 1884 p. 88 sq. Lanciani, ibid. p. 145 qui dicit ineunte tertio p. Chr. saeculo postremum illud renouatum esse postquam incendio CXCII p. C. n. orto deletum est, ut ego opinor. Richter l. s. p. 90.

[6]) Galen. l. s. s.

quam bibliotheca ipsa uidetur deleta esse. Apollinis autem templum uel potius bibliothecam refectam esse quamquam nihil certi accepimus, tamen apparet ex eo quod usque ad quartum saeculum ea exstabat. Atque etiam uerisimillimum est domum Augustanam hoc incendio deflagrauisse; nam illud uit. Commod.[1]) „in domo Palatina Commodiana" fortasse spectat ad nouum opus, quod nomen fuit ad tempus.[2]) Quae aedificia in Palatino monte sita praeterea flammis tum sint comprehensa, affirmari non potest. Iterumque admoneo non totum Palatinum montem hoc incendio correptum fuisse. Esse fortasse autem uerisimile uideri potest illo anno circum maximum item igni ex parte haustum esse, qui teste titulo VI 1083 anno CCXXV p. C. n. a M. Aurelio Seuero Alexandro est restitutum. Neque enim uerisimillimum est circum per LXXX annos, cum Antonino Pio imperatore collapsus esset, dirutum iacuisse.

Ex his quae exposui, satis apparet Commodo imperatore anno CLXXXIX p. C. n. regionem VIII, anno CXCII p. C. n. regiones IV, VIII, X, XI ex parte incendio uexatas esse.

Temporibus

Septimii Seueri et Caracallae

urbs Roma maioribus incendiis integra fuit. Neque enim aliud quicquam certi accepimus nisi Septimio Seuero imperatore theatrum Pompei fortasse incendio deletum esse, quod ille restaurauit.[3])

At incendium, quo urbs uehementissime est perturbata,

Macrino

imperatore ortum est. *Τό τε θέατρον κυνηγετικὸν κεραυνοῖς ἐν αὐτῇ τῇ τῶν Ἡφαιστίων ἡμέρᾳ βληθὲν οὕτω κατεφλέχθη ὥςτε τήν τε ἄνω περιβολὴν αὐτοῦ πᾶσαν καὶ τὰ ἐν τῷ τοῦ κύκλου ἐδάφει πάντα κατακαυθῆναι, κἀκ τούτου τὰ λοιπὰ πυρωθέντα θραυσθῆναι.*[4]) Volcanalibus igitur h. e. a. d. X kal. Sept. anni CCXVII p. C. n. amphitheatrum Flauium prorsus est flammis exhaustum *οὐδὲ ἐπαρκέσαι αὐτῷ οὔτε ἀνθρωπίνη ἐπικουρία, καίπερ παντὸς ὡς εἰπεῖν ὕδατος ῥέοντος, οὔθ' ἡ τοῦ οὐρανίου ἐπίρροια πλείστη τε καὶ σφοδροτάτη γενομένη ἠδυνήθη· οὕτω που καὶ τὸ ὕδωρ ἑκάτερον*

---

[1]) uit. Commod. 12.

[2]) Richter l. s. p. 157.

[3]) C. I. L. VIII 1439.

[4]) Dio LXXVIII 25, 2. uit. Elag. 17. Hieron. a. Abr. 2234. Chron. min. I p. 147.

ὑπὸ τῆς || τῶν σκηπτῶν δυνάμεως ἀνηλίσκετο.[1]) Atque ipsum amphitheatrum aliquamdiu ita dirutum iacuit, quam ob rem ludi gladiatorii per multos deinceps annos in stadio quod erat situm in campo Martio,[2]) editi sunt. Quod theatrum Elagabalus restituere coepit[3]) absoluitque Alexander Seuerus.[4]) Praedia quoque Augustalia incendio perierunt aedificiaque priuata. Cum illud incendium loco prodigii haberetur manifesteque in Macrinum tendere uulgo crederent propterea quod circenses Vulcani ludos dissoluisse uidebatur, ludi a Macrino populo postulante sunt instaurati.[5]) Haec hactenus. Neque quicquam certi constat proximis temporibus urbem incendiis uexatam esse. Haud scio an ex uerbis uitae Alex. Seu. 44: „theatrum Marcelli reficere uoluit" colligi possit illud

Alexandro Seuero

imperatore flammis deletum esse.

At certum est

Maximino Thrace

imperatore exeunte anno CCXXXVII p. C. n. Romam maiorem partem incendio concrematam esse tum, cum „inter praetorianos et populum tanta seditio fuit, ut ad bellum intestinum ueniretur, urbis Romae pars maxima incenderetur templa foedarentur."[6]) Atque apud Herodianum hoc scriptum uidemus: *κεκλεισμένων δὲ τῶν οἰκιῶν καὶ τῶν ἐργαστηρίων ταῖς θύραις, καὶ εἴ τινες ἦσαν ξύλων ἐξοχαί (πολλαὶ δὲ αὗται κατὰ τὴν πόλιν), πῦρ προσετίθεσαν . ῥᾷστα δὲ διὰ πυκνότητα τῶν συνοικιῶν ξυλείας τε πλῆθος ἐπάλληλον μέγιστον μέρος τῆς πόλεως τὸ πῦρ ἐνεμήθη, ὡς πολλοὺς μὲν ἐκ πλουσίων ποιῆσαι πένητας , πλῆθός τε ἀνθρώπων συγκατεφλέχθη, φυγεῖν μὴ δυνηθέντων διὰ τὸ τὰς ἐξόδους ὑπὸ τοῦ πυρὸς προκατειλῆφθαι. τοσοῦτον δὲ μέρος τῆς πόλεως τὸ πῦρ ἐλυμήνατο ὡς μηδεμίαν τῶν μεγίστων πόλεων ὁλόκληρον δύνασθαι τῷ μέρει ἐξισωθῆναι.* Quo loco igitur incendium factum sit, reticent scriptores. Sed fortasse spectant etiam huc uerba quae scripta uidemus in uit. Max. et Balb.[7]): „quid enim opus de restitutione templorum de basilicae ornatu . . . de exaedificatione amphitheatri agere?", praesertim cum illo incendio templa laesa sint. Quae cum ita sint, incendio anno CCXXXVII p. C. n. facto potissimum opera et publica et priuata, quae erant sita ad forum, uexata esse arbitror flammamque usque ad Flauium amphitheatrum serpsisse. Imprimis igitur regio VIII igni deleta est.

1) Dio l. s. s.
2) Dio LXXVIII 25, 3.
3) uit. Elag. l. s. s.
4) uit. Alex. Seu. 24.
5) Dio LXXVIII 25, 4.
6) uit. Max. et Balb. 9. uit. Maxim. 20. Herod. VII 12, 5.
7) uit. Max. et Balb. 1. at Gilbert l. s. III p. 36 adn. 4 aliud incendium fuisse putat.

Nunc uenimus ad incendium, quo

Philippi Arabis

aetate urbs Roma uastata est. Anno enim CCXLVIII p. C. n., tum ipsum cum „millesimus annus Romae urbis ingenti ludorum apparatu spectaculorumque celebratus est,"[1]) theatrum Pompei et hecatonstylon incendio rursus conflagrauerunt.[2]) Neque uero notum est, quae fuerit causa huius calamitatis. Praeterea porticus Pompeia quae erat coniuncta cum scaena illius theatri, flammis deleta uidetur esse, unde incendium ad hecatonstylon, ut supra dixi, est progressum. Breui autem post theatrum Pompei porticusque restituta est, quoniam, ut infra exponam, anno CCLXXXIII p. C. n. item flammis comprehensum illud est. De restitutione hecatonstyli nihil memoriae est traditum. Constat igitur illo anno regionem IX ex parte flammis interisse.

Tribus annis post

Decio

imperatore superiorem partem amphitheatri Flauii de caelo tacti iterum igni esse absumptam Hieronymus[3]) testatur. Neque uero usquam commemoratur, num flamma latius serpserit. Quo anno illud theatrum refectum sit, item inuestigari non potest. At paulo post illud denuo in usu fuit.[4])

Temporibus

Aureliani

thermae Antoninianae incendio deflagrauerunt,[5]) quae postea ab Aureliano atque Diocletiano sunt restitutae.[6])

1) Eutrop. 9, 3.
2) Hieron. a. Abr. 2263.
3) Hieron. a. Abr. 2268.
4) Richter l. s. p. 167.
5) Chron. min. I p. 148.
6) C. I. L. VI 1136. 1173.

Deinceps dicendum est de incendiis

Carino

imperatore ortis. Anno enim CCLXXXIII p. C. n. duobus incendiis urbs Roma uastata est, quorum altero scaena theatri Pompei porticusque Pompeia, altero saeuiore forum Iulium (Caesaris), curia Iulia[1]) (senatus), atrium Mineruae (Chalcidicum, secretarium senatus), Graecostadium, basilica Iulia, templum Saturni sunt absumpta.[2]) Quae fuerit causa huius incendii, memoriae non est proditum. Instaurauit[3]) autem Diocletianus theatrum Pompei atque porticum Pompeiam quam postea nomine porticum Iouiam et Herculeam dedicauit.[4]) Et fora Iulium et magnum aedificiaque eorum ab eodem sunt refecta.[5]) At „senatus populusque Romanus incendio consumptum" templum Saturni restituit.[6]) Atque esse fortasse uerisimile uideri potest illo incendio Isidis et Serapidis quoque templum laesum esse, nam inter opera a Diocletiano refecta illud chronographus qui dicitur anni CCCLIII enumerat.[2]) Regiones igitur VIII et IX tum sunt uexatae.

Sed satis dictum est de incendiis Carino imperatore ortis. Veniamus nunc ad incendia, quae quarto p. Chr. saeculo Romae sunt facta.

Maxentio

imperatore inter annos CCCVI et CCCVIII p. C. n. templum Veneris et Romae flammis conflagrauit,[2]) quod ante annum

---

[1]) iam LII a. C. n. a Clodianis incensa (Cic. pro Mil. 33. Dio XL 49, 2) mox a Fausto Sulla refecta est (Dio XL 50, 3). Huelsen f. R. p. 14.

[2]) Chron. min. I p. 148.

[3]) uit. Carin. 18. Chron. min. l. s. s. Amm. Marc. XVI 10, 14.

[4]) C. I. L. VI 255. 256. Richter l. s. p. 229 qui putat porticum totam denuo esse aedificatam.

[5]) Chron. min. l. s. s. Jordan, Tempel der Vesta, p. 34 non iure ex tegulis conseruatis (Lanciani, bull. comm. 1871 p. 246. 247.) coniecit Diocletiani quoque temporibus basilicam Iuliam incendio deletam esse.

[6]) C. I. L. VI 937. Preller Rh. M. IV 1846 p. 467. contra Gilbert l. s. III p. 404 adn. 1 qui dicit circa ann. CC p. C. n. hunc titulum esse insculptum. Richter l. s. p. 80 scripsit haec: diese Restauration muß aus später Zeit sein. v. Reumont l. s. I p. 828 aetate Constantini titulum incisum esse putat.

CCCVIII p. C. n. Maxentium restituisse ex nummis apparet,[1]) et mortuo illo Constantii nomine dedicatum est.[2])

Restat, ut pauca dicam de incendio quo

Iuliano

imperatore a. d. XV kal. Mai. anni CCCLXIII p. C. n. noctu Apollinis templum Palatini est comprehensum, „ubi, ni multiplex iuuisset auxilium, etiam Cumana carmina" quae teste Suetonio[3]) „duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi" erant condita, „consumpserat magnitudo flammarum".[4]) Neque uero uidetur hoc templum restitutum esse. Itemque bibliotheca in perpetuum interiit.

Exeunte autem saeculo quarto uel ineunte quinto, ut ad finem huius capitis ueniam, forum flammis rursus periit. Namque anno CCCCXII p. C. n. Epiphanius praefectus urbi secretarium senatus, quod ad forum situm erat, igni absumptum instaurauit.[5])

Conclusio.

Quoniam incendia temporum ordine seruato singulatim enumeraui, nunc breuissime in uniuersum fata urbis consideremus. Imperatorum igitur temporibus incendia Romae orta sunt, quae et causa et ambitu similia sunt eis, quibus ciuitatis liberae temporibus urbs uastata erat. Namque potissimum in horreis atque tabernis, quae tum quidem secundum circum maximum, ad forum sacramque uiam, in saeptis campi Martii erant constructa, complura incendia sunt orta. Quid mirum? Nam horrea atque tabernae erant completa rebus igni concipiendo aptissimis. Hic quaerat quispiam, quo modo fieri potuerit, ut etiam opera publica, quae neque materia neque usu flammis concipiendis erant idonea, iterum ac saepius incendiis sint comprehensa. Horrea atque tabernae maximam partem cum publicis aedificiis erant coniuncta. Praeterea autem erant imparia subsidia flammis reprimendis. At complura incendia, ubi erant orta, exstincta esse, facile inde intellegi potest, quod illa aedificia maximam partem aut separata aut altissimis

---

[1]) Cohen VII² p. 168. 169 nu. 20—45. p. 171 nu. 49. 51—54. 56. Jordan l. s. II p. 6.

[2]) Aurel. Vict. Caes. 40, 26 (fanum Vrbis).

[3]) Suet. Aug. 31.

[4]) Amm. Marc. XXIII 3, 3. Lanciani, the pageant at Rome in the year 17 B. C., Atlantic Monthly LXIX 1892 p. 151.

[5]) C. I. L. VI 1718.

muris erant circumclusa. Quantae fuerint uastationes, colligi potest uel inde, quod ne rudera quidem omnia auferri potuerunt. Neque enim iam primo saeculo teste Frontino[1]) „quaedam aquae erigi in eminentiora potuerunt; nam et colles sensim propter frequentiam incendiorum excreuerunt rudere.“ Quot incendiis uastis Roma primis quattuor saeculis uexata sit, indicet haec tabula:

anno	regiones uastatae sunt
XXXI a. C. n.	IX, XI
XXIII	?
XVI	XI
XIV	VIII
XII	VIII
IX	VIII
III p. C. n.	X
VI	?
XVI	VIII
XXI	IX
XXVII	II
XXXI	?
XXXVI	XIII
XXXVIII	?
XLI	X
LIV	IX
XLI/LIV	VI
LXII	IX
LXIV	IV, VII, IX, X, XI
LXIX	VIII, X
LXXX	VIII, IX
LXXXVIII/XCVI	X, XI
CIV	IV, X
CXI/CXII	IX
XCVIII/CXVII	VIII
CXXXVIII/CLXI	III, IV
CXLIII/CLX	VIII
CLXXXIX	VIII, IX
CXCII	IV, VIII, X, XI
CXCIII/CCXI	IX
CCXVII	III
CCXXV/CCXXXVIII	IX
CCXXXVII	VIII
CCXLVIII	IX
CCLI	III
CCLXX/CCLXXV	XII
CCLXXXIII	VIII, IX
CCCVI/CCCVIII	IV
CCCLXIII	X
CCCCXII	VIII

Quae cum ita sint, Romae primis quattuor saeculis XL saeua incendia sunt orta, quibus regiones I, V, XIV integrae fuerunt, uastatae sunt semel regiones II, VI, VII, XII, XIII; ter

[1]) Front. de aqu. 18.

regio III; quinquies regiones IV, XI; octies regio X; duodecies regio IX; ter decies regio VIII. Haec erant incendia uehementiora. Quam multis et paruis incendiis urbem illis temporibus laesam esse putas, quorum annalium scriptores nullam mentionem fecerunt? Quam multas insulas flammis absumptas esse putas? Haec hactenus.

Caput II.

Quo modo Romae incendia arcere uel exstinguere conati sint.

1. De legibus quae ad aedificandi rationem pertinent.

Quae erant primae causae saeuissimorum incendiorum? Aedificandi ratio[1]) erat una ex illis causis neque minima. Neque enim is, qui aedificare uolebat, aut firmitatis aut soliditatis materiae rationem habebat, sed omnia ad suam utilitatem referebat. Atque hoc in promptu est. Nam habitationes erant rarae mercesque habitationis maxima (Poehlmann l. s. p. 73. 74. 76. 96—98. 103 sq. 105 adn. 1). Huc accedit quod postea mercedes habitationum conductoribus publice sunt imminutae uel remissae (P. p. 74). Sed longum est omnia commemorare neque est huius loci accuratius disputare, quibus de causis Romae domus neglegentissime sint aedificatae. Velim legas Poehlmanni libellum egregium a me laudatum, quo nemo qui hisce studiis uel subitariam operam impendere uoluerit, carere poterit.

„In ea autem maiestate urbis et ciuium infinita frequentia,“ nam ex municipiis et coloniis, ex toto denique orbe terrarum homines Romam confluxerunt, „innumerabiles habitationes opus est explicare. ergo cum recipere non possent areae planatae tantam multitudinem ad habitandum in urbe“ uel ut pulcherrime dicit Seneca[2]) «frequentiam, cui uix urbis immensa tecta sufficiunt», „ad auxilium altitudinis aedificiorum[3]) res ipsa coegit

[1]) de ratione aedificandi urbis Romae conf Poehlmann, die Übervölkerung der antiken Großstädte 1884 p. 110 sq. Friedlaender, S.-G. R. I⁶ p. 1 sq. Voigt, römische Baugesetze, Berichte d. königl. sächs. Gesellsch. d. Wissensch. LV 1903 p. 175 sq. Richter l. s. p. 57.

[2]) Senec. consol. ad Helu. 6, 2.

[3]) Poehlmann l. s. p. 91. Marquardt, Handb. d. röm. Altertümer VII² p. 221.

deuenire. itaque pilis lapideis structuris testaceis parietibus caementiciis altitudines exstructae et contignationibus crebris coaxatae cenaculorum ad summas utilitates perficiunt dispertitiones".[1])

Quae cum ita sint, mirum non est, quod aedificiorum „tanta altitudo est tantaeque uiarum angustiae, ut neque aduersus ignem praesidium, nec ex ruinis ullam in partem effugium sit."[2]) Itaque cum aedificia ingentis altitudinis essent uiaeque tam angustae neque subsidia ignibus sedandis satis idonea, fieri non potuit, ut aquae usque ad summas aedium contignationes mitterentur. Qua ex re apparet incendia praecipue aedibus dolabris perticisque dirutis exstincta esse.

Quam ob rem legibus aedium constitutis ex parte incendiis occurrebant.[3]) In ipsa lege XII tabularum scriptum erat: ambitus sestertius pes esto.[4]) Ambitum autem Festus[5]) sic definit, ut „circuitum aedificiorum patentem in latitudinem pedes duos et semissem, in longitudinem idem quod aedificium" uel „inter uicinorum aedificia locum duorum pedum et semipedis ad circumeundi facultatem relictum" esse dicat. Legis igitur uoluntas erat, ut singula aedificia quinque pedes inter se distarent, cui interuallo unusquisque uicinus locum duorum pedum et semipedis contribuere deberet.[6]) Breui autem post cum habitationes rarae fierent, discedebatur a lege de ambitu. Namque singula aedificia ab una parte inter se coniungebantur, ut parietem communem haberent,[7]) qua

---

[1]) Vitruu. II 8, 17.

[2]) Senec. controu. II 9, 11. Praeterea urbem Romam illorum temporum ponunt pulcherrime ante oculos Cic. de leg. agr. II 35. Vitr. VI 6, 6. Tac. hist. III 71. ann. XV 38. Iuu. sat. III 29; 197—222. VI 31. Stat. silu. IV 4, 14. Mart. XII 20, 20. Tertul. adu. Valent. 7. e. a. Poehlmann l. s. p. 92.

[3]) conf W. Liebenam, Städteverwaltung im röm. Kaiserreiche, p. 408 adn. 2.

[4]) Schoell, ed. leg. XII tab. rel. p. 136 (tab. VII 1). Voigt, Geschichte u. allgemeine juristische Lehrbegriffe der 12 Tafeln 1883 I p. 724 (tab. VIII, 4).

[5]) Festus p. 5. 16. Varro l. l. V 4, 22. Isid. orig. XV 16, 12.

[6]) Voigt l. s. II p. 620. 637. idem, Römische Privataltertümer p. 315. idem, Berichte d. k. s. G. d. W. a. s. p. 177. Marquardt l. s. VII² p. 218 qui errore dicit: Das tectum displuuiatum hat die Unbequemlichkeit, daß, da man gemeinsame Regenrinnen im Altertume nicht kannte, jedes Haus einen freien Ambitus von 2½ Fuß haben mußte, der das abfließende Wasser aufnahm. In den XII Tafeln wird dieser ambitus oder circuitus gesetzlich angeordnet." Contra Mau ibid. adn. 1 et 2.

[7]) Voigt, Berichte a. s. p. 179.

re incendii periculum augebatur. At paulo post aedificia pariete communi construi sunt uetita, qua lege altitudo ipsa quoque aedificiorum constituta est. Quam legem Vitruuii aetate etiam ualuisse apparet ex eiusdem loco[1]) „leges publicae non patiuntur maiores crassitudines quam sesquipedales constitui loco communi." Atque Augustus ipse Rutili,[2]) qui anno CV a. C. n. consul erat, orationem „de modo aedificiorum", quam ille siue in senatu siue ad populum habuerat, Romanorum in memoriam reduxit, „quo magis persuaderet" illam „rem non ab se primo animaduersam, sed antiquis iam tunc curae fuisse."[3]) Idem in coloniis atque municipiis Italiae leges de modo aedificiorum in memoriam domuum dominorum reduxit.[4]) Atque de Augusto cum traditum sit *τὰ ὕψη τῶν καινῶν οἰκοδομημάτων καθελών, καὶ κωλύσας ἐξαίρειν ποδῶν ἑβδομήκοντα τὸ πρὸς ταῖς ὁδοῖς ταῖς δημοσίαις*,[5]) facile intellegi potest tum aedificia sex uel septem tabulatis esse edita.[6]) Idemque iussit aedificia quae ultra fines praescriptos extensa essent, diruta ad altitudinem licitam redigi teste Vlpiano,[7]) apud quem hoc scriptum uidemus: „si quis illicite aedificasset, id est hoc quod dirui constitutiones iubent." Quid uero? Vt incendium a domo sua arceret, nonne eam Piso a fundamentis usque ad summum tectum saxo quadrato accurate exaedificauit, quam ob rem Augustus dixisse fertur[8]) illum animum suum exhilarasse, cum ita aedificauisset ac si Roma esset futura sempiterna (*εὔθυμον με ποιεῖς οὕτως οἰκοδομῶν, ὡς ἀιδίου τῆς Ῥώμης ἐσομένης*)? Atque illud Pisonis exemplum imperatores secuti sunt cum fora sua altissimis muris circumdederunt. Neque uero omni tempore illae leges conseruabantur. Quo enim modo fieri potuisse putas, ut Neroniano incendio tota fere urbs absumeretur? Vt autem Romam illius aetatis cogitatione depingas, uelim legas quae Seneca[9]) et Tacitus[10])

---

[1]) Vitruu. II 8, 17. Plin. n. h. XXXV 173.

[2]) Voigt, Berichte p. 182. idem, Röm. Rechtsgeschichte § 20, 4. 22, 14.

[3]) Suet. Aug. 89.

[4]) conf Gardthausen l. s. I 2 p. 952 adn. 4.

[5]) Strabo V 3, 7. Marquardt l. s. II² p. 124 adn. 2; VII² p. 222.

[6]) Poehlmann l. s. p. 93. contra Friedlaender l. s. I⁶ p. 7 quattuor tabulata fuisse putat. Voigt, Berichte p. 184.

[7]) Dig. XXXII 1, 11, 14.

[8]) Plut. apophthegm. Aug. 15 p. 208 A. Gardthausen l. s. I 2 p. 986; II 2 p. 600 adn. 26.

[9]) Senec. contr. II 9, 11.

[10]) Tac. ann. XV 38.

memoriae tradiderunt. Atque pulcherrime dicit Nissen:[1]) man denke sich das heutige Venedig oder das alte Hamburg ohne Wasserstraßen, das eine ohne seine Kanäle, das andere ohne seine Fleete, so wird man eine ziemlich richtige Anschauung von dem Grundriss des republikanischen Rom erhalten, id quod iusto iure etiam ad urbem Romam temporum Caesarianorum reuocari potest.

Quae cum ita sint, Nero item legem de modo aedificiorum urbis dare coactus est,[2]) quam Voigt[3]) singulatim pluribus uerbis explicauit. „Formam" enim, ut res summas attingam, „aedificiorum urbis nouam excogitauit, et ut ante insulas ac domos porticus essent, de quarum solariis incendia arcerentur, easque sumptu suo extruxit."[2]) Atque legem de altitudine aedificiorum intendit Nero. Edixit enim, ne aedificia ultra LXX pedes attollerentur; idem praecepit, ut „aedificia ipsa certa sui parte sine trabibus saxo Gabino Albanoue solidarentur, quod is lapis ignibus imperuius est nec communione parietum, sed propriis quaeque muris ambirentur, ... et subsidia reprimendis ignibus in propatulo quisque haberet."[4]) Praeterea Nero „addidit praemia pro cuiusque ordine et rei familiaris copiis[5]) finiuitque tempus, intra quod effectis domibus aut insulis" scil. ut leges de modo aedificiorum iusserunt „apiscerentur."[4]) Huc spectant etiam haec uerba, quae scripta uidemus apud Gaium:[6]) „praeterea ⟨a Nerone constitutum est⟩, ut si Latinus qui patrimonium sestertium CC milium plurisue habebit, in urbe Roma domum aedificauerit" scil. secundum praescripta, „in quam non minus quam partem dimidiam patrimonii sui impenderit, ius Quiritium consequatur." Atque Vespasianus, cum „deformis urbs ueteribus incendiis" h. e. imperatoribus Nerone et Vespasiano ortis „ac ruinis esset, uacuas areas occupare et aedificare, si possessores cessarent, cuicumque permisit."[7])

---

[1]) Nissen, Ausbruch des Bürgerkriegs 49 v. Chr., Sybels historische Zeitschrift XXXXIV n. s. 1880 p. 411.

[2]) Suet. Nero 16. Tac. ann. XV 43.

[3]) Voigt, Berichte p. 185—187. conf etiam Preller, Regionen p. 85. Schiller, Nero p. 177 sq. Jordan l. s. I 1 p. 490—491 v. Reumont l. s. I p. 330.

[4]) Tac. l. s. s.

[5]) conf Voigt, Berichte p. 187 adn. 49.

[6]) Gai. inst. I § 33 ed. Krueg.

[7]) Suet. Vesp. 8.

Sed paulo post illae leges in tantam obliuionem sunt adductae ut Traianus edixerit, ne aedificia ultra LX pedes extenderentur.[1])

Quae omnes leges de aedificiorum modo, quae ut conseruarentur quinqueuiri curauerunt[2]), ad priorem domum pertinebant. Quanta licentia libertasque aedificandi in partibus domui posticae adiciendis fuerunt!

Satis mihi multa uerba fecisse uideor de legibus, quae ad aedificandi rationem pertinent, nunc dicam

2. De uigilibus

qui Romae incendio exorto ad opem ferendam concurrebant. Ac primum quidem uidetur esse dicendum

de historia uigilum[3])

Libera re publica, ut longius repetam „incendiis arcendis tresuiri" capitales uel triumuiri uel tresuiri „praeerant, qui ab eo quod excubias agebant nocturni dicti sunt,"[4]) quorum officium tale erat, ut noctu incendia oborta, ne latius peruagarentur, restinguerent, id quod apparet dilucide ex Val. Max. his uerbis[5]): „M. Muluius, Cn. Lollius, L. Sextilius triumuiri, quod ad incendium in sacra uia ortum extinguendum tardius uenerant, a tribunis pl. die dicta apud populum damnati sunt" uel „item P. Villius triumuir nocturnus a. P. Aquilio tribuno pl. accusatus populi iudicio concidit, quia uigilias neglegentius circumierat."

---

[1]) Aurel. Vict. epit. XIII 13. Voigt, Berichte p. 188. Poehlmann l. s. p. 93. Richter, Berlin. philol. Wochenschrift VI 1886 1110. Marquardt l. s. II² p. 124 adn. 2; VII² p. 222.

[2]) A. von Premerstein, stadtröm. u. municipale Quinqueuiri, Festschrift für Otto Hirschfeld p. 238 adn. 4.

[3]) de uigilibus scripserunt: Kellermann, uigilum Romanorum latercula II Coelimontana, Romae 1835. Zander, de uigilibus Rom., Hamburg 1843. G. Origo, origine della guardia permanente contro gl' incendi, atti dell'accademia romana di archeologia I 2 p. 3—21. Ettore de Magistris, la militia uigilum della Roma imperiale 1898 Roma.

de uigilibus disseruerunt: Mommsen R. St.-R. I² p. 313 sq. II³ p. 611. 1054. Marquardt l. s. II² p. 484. Gardthausen l. s. I 2 p. 952—954; II 2 p. 564—566. Hirschfeld, die Sicherheitspolizei im röm. Kaiserreiche, Sitzungsber. der Berliner Akad. d. W. 1891 p. 845 sq. idem, kaiserliche Verwaltungsbeamte (K. V.-B.) 1905 p. 252 sq. E. Caetani Lovateili, scritti vari Roma 1898 p. 189—206.

[4]) Dig. I 15, 1. Liu. IX 46, 3. Lyd. de mag. I 50. at Zander l. s. p. 13 maximo in errore uersatur cum dicit triumuiros capitales eosdem fuisse atque triumuiros nocturnos ex Liuii loco se nunquam colligere posse.

[5]) Val. Max. VIII 1, 5. 6.

Postea autem, fortasse anno CLXXXVI a. C. n.,[1]) triumuiris nocturnis quinque uiri, qui appellabantur cis Tiberim[2]) uel Cistiberes[3]) et qui inter magistratus ordinarios erant,[4]) adiutores dati sunt teste Liuio,[5]) apud quem uerba haec sunt: „triumuiris capitalibus mandatum est, ut uigilias disponerent per urbem seruarentque, ne qui nocturni coetus fierent utque ab incendiis caueretur;[6]) adiutores triumuiris quinqueuiri uti cis Tiberim[7]) suae quisque regionis aedificiis praeessent." Quo modo illi quinque uiri singulis regionibus attributi sint, Mommsen[8]) parum recte hoc modo explicat: die quinqueuiri cis Tiberim wurden vielleicht in der Weise verwendet, daß trotz der Benennung der vorstädtische Bezirk jenseits der Tiber einem dieser Fünfmänner unterstand und die vier übrigen sich in die vier eigentlichen Stadtbezirke teilten" uerbis adiectis[9]) „es mögen ihrer anfangs nur vier für die vier Stadtbezirke gewesen und seit Hinzufügung des fünften für das transtiberinische Gebiet die Benennung a potiori beibehalten sein". At recte uero Hirschfeld[10]) et von Premerstein[11]) sententiam Mommseni refutauerunt: Gegen letztere Ansicht (Mommseni)

[1]) Mommsen l. s. II³ p. 611. Herzog, Geschichte und System der römischen Staatsverfassung I p. 481. v. Premerstein l. s. p. 234. 236 putat iam ante annum CCXXXVIII a. C. n. quinque uiros institutos esse quod uerisimile esse mihi non uidetur. Madvig, Verfassung und Verwaltung I p. 481 cautius dicit inter annum CCXLII a. C. n. et eum quo a Sulla octo praetores constituti essent.

[2]) C. I. L. VI 10347 = 32317. v. Premerstein l. s. p. 239 adn. 5. de illo „et ultis Tiberim" in Dig. I 2, 2, 31 conf Mommsen l. s. II³ p. 611 adn. 1. contra ad Dig l. s. s. idem suo iure adnotauit haec: „et ultis Tiberim" compilatores adiecisse.

[3]) Dig. I 2, 2, 33. C. I. L. VI 32316. de cistifero apud Mart. V 17, 3 conf Hirschfeld Hermes XXIV 1889 p. 106. v. Premerstein l. s. p. 237. 239 adn. 4. de cestifero in commentariis notarum Tiron. (ed. G. Schmitz II 1 = tab. 36 n. 95) et in corp. gloss. lat. V p. 613, 44 conf v. Premerstein l. s. p. 239 adn. 1 et 2.

[4]) Mommsen l. s. II³ p. 611 adn. 5. v. Premerstein l. s. p. 235. 239.

[5]) Liu. XXXIX 14, 10.

[6]) de hac distinctione conf v. Premerstein l. s. p. 236.

[7]) de illo „uti cis Tiberim" conf Mommsen l. s. II³ p. 611 adn. 2. Zander l. s. p. 11—13.

[8]) Mommsen l. s. II³ p. 611. conf etiam Gardthausen l. s. I² p. 952.

[9]) ibid. p. 611 adn. 1.

[10]) Hirschfeld Sitzungsber. d. Berl. Akad. d. W. a. s. p. 847 adn. 5.

[11]) v. Premerstein l. s. p. 235.

erheben sich indessen gewichtige formelle Bedenken, vor allem die Benennung quinqueuiri cis Tiberim bei Livius und ihre in späterer Zeit mehrfach bezeugte Abkürzung zu Cistiber, die kaum möglich wäre, wenn sich das Amtsgebiet auf beide Tiberufer erstreckt hätte .... die Bezeichnung cis Tiberim für den Amtsbereich ist, soviel ich sehe, sehr zutreffend gewählt, um die rechtlich verschieden gestellten städtischen Gebiete am linken Tiberufer, einerseits die eigentliche urbs Roma, das Pomerium, andererseits die außerhalb des Pomeriums befindlichen Gebäudekomplexe unter einheitlichem Namen zusammenzufassen und zugleich dem selbständig verwalteten transtiberinischen Pagus[1]) gegenüber zu stellen. Das Gebiet cis Tiberim zerfiel in regiones, welche Livius zum Jahre 568/186 erwähnt, fünf an der Zahl, deren je eine einem Quinqueuir zugewiesen war; es sind wohl die vier alten Bezirke des Pomeriums und als fünfter der extra pomerium gelegene Aventin".

Temporibus autem Commodi quinque uiros cis Tiberim fuisse, apparet fortasse e titulo VI 420 = 30764[2]) anno CLXXXVI p. C. n. inciso.

Primo enim, ut redeam ad tres uiros nocturnos, aediles,[3]) postea consules et tribuni plebis[4]) incendiis arcendis praefuerunt, quibus item ad incendium exstinguendum in tempore erat ueniendum.[5]) Neque uero seruitia uel familia publica, quae triumuiris atque quinqueuiris erat attributa, incendia uehementissima sedare poterat, quamquam praeter illam „familiam publicam circa portam et muros dispositam unde si opus esset euocabatur, fuerant et priuatae familiae, quae incendia uel mercede uel gratia extinguerent".[6]) Nec cuiquam mirum uidebitur quod *Μᾶρκος Ἐγνάτιος Ῥοῦφος ἀγορα-*

[1]) Gilbert l. s. II p. 172 sq. III p. 446 sq. recte dicit „daß vielleicht der jenseitige Tiberbezirk, der noch lange als selbständiger pagus fortbestanden hat, nicht in diese städtische Polizeiordnung einbezogen ward."

[2]) = Kaibel inscr. gr. Sic. et Ital. no 985. Mommsen l. s. II³ p. XIII adn. 1; contra ibid. p. 612. Hirschfeld Hermes XXIV 1889 p. 106. v. Premerstein l. s. p. 237 adn. 3.

[3]) Dig. I 2, 2, 33. I 15, 1. v. Premerstein l. s. p. 237. Mommsen l. s. II³ p. 611 adn. 5.

[4]) Dig. I 15, 1. Mommsen l. s. II³ p. 1054.

[5]) Cic. in Pis. 11, 26, non 11, 25 ut scripsit Mommsen l. s. II³ p. 138 adn. 6.

[6]) Dig. l. s. s.

νομήσας, καὶ ἄλλα τε πολλὰ καλῶς πράξας καὶ ταῖς οἰκίαις ταῖς ἐν τῷ ἔτει ἐκείνῳ h. e. anno XXVI a. C. n. *ἐμπρησθείσαις ἐπικουρίαν μετὰ τῶν ἑαυτοῦ δούλων καὶ μεθ' ἑτέρων τινῶν μισθωτῶν ποιησάμενος, καὶ διὰ τοῦτο τά τε ἀναλώματα τὰ τῇ ἀρχῇ αὐτοῦ προσήκοντα παρὰ τοῦ δήμου ἔλαβεν καὶ στρατηγὸς παρανόμως ἀπεδείχθη.*[1])

Haec uigilum Romanorum eorumque, qui iis praeerant, triumuirorum nocturnorum institutio usque ad Augusti aetatem integra constitit. At Augustus totam rem prorsus immutauit. Verum enimuero cum uno die plura incendia Romae orirentur iisque exstinguendis nec triumuiri nocturni nec aediles et tribuni plebis sufficerent, Augustus „maluit per se huic rei consuli".[2]) Atque primum quidem anno XXVI a. C. n. aedilibus mandauit, cauerent, ne qua incendia orirentur, aut si orta essent, ignis restinguendi curam gererent.[3]) Quattuor autem annis post aedilibus sescentos seruos incendiorum exstinguendorum causa dedit,[4]) quibus anno VII a. C. n. uicorum magistri praefecti sunt.[5]) Deinde anno VI p. C. n. Augustus postquam urbem in XIV regiones potissimum huic rei diuisit, „septem cohortes uigilum opportunis locis constituit, ut binas regiones urbis unaquaeque cohors tueatur scil. ab incendiis, praepositis eis tribunis et super omnes [spectabili uiro] qui praefectus uigilum appellatur".[6]) Verisimillimum autem est Augustum hac in re Alexandrina instituta ad imitandum sibi proposuisse, qua in urbe iam dudum *νυκτοφύλακες* atque *νυκτερινὸς στρατηγός* erant constituti.[7]) Romae igitur illis temporibus septem milia[8]) uigilum ex Latinis atque libertinis[9]) conscriptorum fuerunt. At uero summo in errore uersatur Appianus[10]) cum dicit haec: *καὶ ἐξ ἐκείνου* h. e. ex anno XXXVI a. C. n. quo Caesar Octauianus omnibus pacem securam reddiderat *φασὶ παραμεῖναι τὸ τῆς στρατιᾶς τῶν*

---

1) Dio LIII 24, 4. Vell. Paterc. II 91, 3.
2) Dig. I 15, 1.
3) Dio LIII 24, 6.
4) Dio LIV 2, 4.
5) Suet. Aug. 30. Dio LV 8, 7.
6) Dig. I 15, 3. Strab. V 3, 7. Suet. Aug. 25. 30. Dio LV 26, 4.
7) Strab. XVII 1, 12. Phil. in Flacc. 14 p. 534 ed. Mang. Marquardt l. s. I² p. 456. Hirschfeld, Sitzungsb. a. s. p. 867 adn. 116. idem K. V.-B. p. 253.
8) Hirschfeld K. V.-B. p. 254 adn. 4 urbis Romae uigiles cum illis urbium huius aetatis comparauit.
9) conf adn. 6. C. I. L. VI 222.
10) Appian. bell. ciu. V 132.

νυκτοφυλάκων ἔθος τε καὶ εἶδος. Quid? Quod Iuuenalis poetae scholiasta ad uerba[1]):

> haec quota pars scelerum, quae custos Gallicus urbis
> usque a Lucifero donec lux occidat audit?

adnotauit haec: nomen praefecti uigilum qui institutus est, postquam Galli Capitolium ceperant? Idemque scriptum uidemus apud Lydum[2]): *τούτων οὕτως τότε γενομένων* h. e. Capitolio a Gallis incenso *νόμος ἐτέθη ὁ προάγων τοὺς φύλακας τῶν νυκτῶν.* Verum haec parua sunt, ueniamus ad maiora.

Vigiles igitur publice mercedem acceperunt.[3]) Augustus enim edixit, ut de pretio uenalium mancipiorum quinta et uicesima potissimum huic rei daretur.[4])

Neque uero unquam uigiles Romano exercitui sunt aequati, quamquam tertio saeculo milites appellati sunt Vlpiano[5]) teste, apud quem uerba haec sunt: „item uigiles milites sunt et iure militari eos testari posse nulla debitatio est." Atque „militia ius Quiritium accipit Latinus, '(si) inter uigiles Romae sex' annis militauerit ex lege Visellia",[6]) quae a L. Visellio Varrone consule anno XXIV p. C. n. lata erat.[7]) „At postea ex senatus consulto concessum est ei, ut si triennio inter uigiles militauerit, ius Quiritium consequatur," ut uigiles militiam capessere possent.[8]) Consecuti autem ius Quiritium uigiles qui tria stipendia emeruerant,

---

1) Juu. sat. XIII 157.
2) Lyd. de mag. I 50.
3) Dio LV 26, 5.
4) Dio LV 31, 4: *πεντεικοστῆς* Lipsius de mag. rom. II 4; probatum Mommseno R. St.-R. II³ p. 1055 adn. 4; Marquardto l. s. II² p. 278, aliis propter Tacit. ann. XIII 31 uerba: „uectigal quoque quintae et uicesimae uenalium mancipiorum remissum"; Boissevaino ed. Dion. uol. II p. 515, 12 non item, quoniam *πεντεικοστή* pro *πεντεκαιεικοστή* Graece dici nequeat; uectigal postea auctum esse putat; conf etiam Nipperdey ad Tacit. l. s. s.; at Boissevaini sententia stare non postet, cum facillime fieri possit, ut librarius *πεντεικοστή* pro *πεντεκαιεικοστή* scripserit. Orelli inscr. 3336.
5) Dig. XXXVII 13, 1. acta lud. saec. II 21. 22. (Eph. ep. VIII p. 283). Hirschfeld K.V.-B. p. 253 adn. 4. Mommsen l. s. II³ p. 1056 adn. 2.
6) Vlpian. frgm. 3 § 5 (Huschke ed. iurisprud. Anteiustin. p. 575) C. I. L. VI 220. Gai. inst. I 32 b.
7) Mommsen l. s. III p. 424 adn. 3; p. 786 adn. 8. at idem, über das visellische Gesetz, Jahrb. d. gem. deutsch. Rechts, II p. 335—341.
8) Marquardt l. s. II² p. 485.

admittebantur ad commeatum h. e. ad frumentariam perceptionem uel frumentum publicum.[1])

Restat, ut hoc loco de cognominibus cohortium uigilum pauca addam. Cognomina imperatoria, quae inde a tertio saeculo cohortes in honorem imperatorum assumere solebant, uigilum nisi cohortes prima et septima non accepisse uidentur, quantum scio. Namque in titulis cohortis septimae occurrunt haec: Antoniniana,[2]) quo cognomine Caracallae aetate cohors septima praedita erat, et Seueriana,[3]) quae uox ad Alexandri Seueri tempora spectat, et Philippiana,[4]) quod cognomen ab imperatore Philippo Arabe desumptum est. Ac ne illud quidem neglegendum est illam cohortem Mamianam[5]) nominatam esse, quae a Mamaea Augusta, matre Alexandri, dicta est. Itemque prima uigilum cohors cognomine Antoniniana[6]) praedita erat. Cuius cognominis unum adhuc certum testimonium, quantum scio, exstat, titulus VI 1056, in quo illud cognomen posteriore tempore scil. cum Caracalla unus Augustus esset, additum esse, ipsa forma litterarum docet.

Quoniam de historia uigilum dixi, nunc

de constitutione uigilum

dicam. Praefuit igitur uigilibus, ut supra dixi, praefectus uigilum, qui implicatus multis negotiis, quae infra explicabo, a subpraefecto adiuuebatur, qui non est confundendus uice praefecti uigilum.[7]) Ex Traiani autem temporibus subpraefecti uigilum uel uigilibus,[8]) quos infra componam, uidentur fuisse.[9]) Quae cum ita sint, Mommseni sententia[5]): der subpraefectus findet sich zuerst in der Inschrift von Concordia ungefähr aus dem Jahre 166, dann in der vom Jahre 191 iam stare non potest. Neque iure dicit Mommsen[10]): In einer Inschrift vom Jahre 241 (C. I. L. VI 1092) tritt an seine (des Subpraefekten) Stelle ein curator cohortium uigilum auf, was wohl nicht verschrieben ist,

[1]) C. I. L. VI 2999. 3001. 3011.
[2]) C. I. L. VI 3002. 3057. 3060. 3065. 3068. 3079.
[3]) C. I. L. VI 2998. 3000. 3001. 3004. 3005. 3021. 3032. 3034. 3050.
[4]) C. I. L. VI 3028.
[5]) C. I. L. VI 3008.
[6]) C. I. L. VI 1056.
[7]) C. I. L. VIII 822.
[8]) C. I. L. VI 1621 ubi subpraefectus iuris peritus appellatur.
[9]) C. I. L. VI 221.
[10]) Mommsen l. s. II[3] p. 1057 adn. 5.

sondern eine andere Bezeichnung des Subpraefekten. Quod falsum esse, facillime colligi potest e titulo VI 3909: Valerio Tito s(ub) pr(aefecto) || Aurelio Catullino pp. cur. coh., quod iam Hirschfeld[1]) suspicatus est.

Vnicuique septem uigilum cohortium praefuit tribunus, ex quo tribunatu saepissime promotio fiebat ad tribunatus militiae urbanae et praetorianae.[2]) Septem autem cohortes erant diuisae in XLIX centurias,[3]) cohortes exercitus Romani in sex uel decem centurias.[4]) Atque singulis centuriis quae erant circiter centum et quinquaginta uigilum,[5]) erant praepositi centuriones, quorum primus, qui appellatur primipilus, tribuni locum obtinebat. Centurionum autem uice fungebantur optiones[6]) „quos decurio aut centurio optat sibi rerum priuatarum ministros, quo facilius obeat publica officia".[7])

Quoniam breuissime de cohortis uigilum partibus et ducibus dixi, nunc dicam

de uigilum gregariorum diuersis gradibus.

Praeter enim munera, quae omnes uigiles gregarii praestare debent, certa quaedam munera sunt, quorum ratio requirit, ut ab eisdem semper hominibus curentur. Quae munera cum immunitatem illorum munerum afferrent,[8]) cum dignitate quadam necessario coniuncta erant, unde factum est, ut ei uigiles, qui certa illa munera administarent,

principalium

nomine a reliquis distinguerentur. Atque principalium uocabulum

[1]) Hirschfeld l. s. p. 256 adn. 4. At iniuria H. titulum IX 1595 ita suppleuit: [subpr.]aef. uig. e(gregiae) m(emoriae) u(iro) propterque illud e. m. u. hunc titulum subpraefecto attribuit, cum illud e. m. u. praefecto indignum esset. At uide titulum 1209 in Eph. ep. VII: Valerio. Titaniano. praef. uig. e. m. u. Sed fortasse in utroque titulo pro e. m. u. scribendum est em(inentissimo) u(iro), quod mihi uerisimilius uidetur esse. Et in titulo IX 1595 lacuna ante „aef" nisi duabus litteris expleri non potest. Scribendum igitur est: [pr]aef. uig. em(inentissimo) u(iro).
[2]) Kellermann l. s. p. 15.
[3]) C. I. L. VI 1055. 1056. 1059. Cauer Ephem. epigr. IV p. 447.
[4]) Mommsen Ephem. epigr. IV p. 370.
[5]) Marquardt l. s. II[2] p. 486 adn. 3.
[6]) C. I. L. VI 220. 221. 1056. 1057. 1058. 3038. 3076. 3057. 3069. X 3880. Orelli 3480. optiones uigilum composuit Cauer l. s. s.
[7]) Festus p. 184. 198. Veget. epit. rei mil. II 7.
[8]) Veget. l. s. s.

quid significet, iustius quam Vegetius[1]) qui postquam in illorum numero omnia munera centurionatu inferiora duxit, haec dicit: „hi sunt milites principales qui priuilegiis muniuntur. reliqui munifices appellantur, quia munera facere coguntur" indicat Macer,[2]) apud quem uerba haec sunt; „inreuerens miles non tantum a tribuno uel centurione, sed etiam a principali coercendus est." Magnus autem numerus illorum munerum prohibet, quominus omnia munera in rectum promotionis ordinem recipiantur. Quare dicam primum de muneribus praefecti, deinde subpraefecti, post tribuni, tum centuriae, denique cohortis. Simile quoque docuit Mommsen[3]) cum dixit principalium officia in uniuersum in duo genera diduci posse, quorum alterum a praeposito, alterum a uigilum corpore penderet. Et illius quidem generis esse ea munera quibus non semper, sed ibi fere, ubi officium plene et diligenter determinaretur, praepositus adscriberetur, alterius autem, quibus ut saepe adiungeretur numerus, apud quem occupati esse inuenirentur, ita praepositus sub quo militauissent, nunquam enuntiaretur.[4])

Primum igitur dicendum est

de muneribus praefecti uigilum.

Beneficiariorum[5]) praefecti qui a praefecto beneficia accipiebant,[6]) quae et immunitate munerum uulgarium et pecunia constitisse uidentur, numerus satis magnus fuit. Namque in una cohorte fuerunt quinque.[7]) Promouebatur autem ex beneficiario praefecti cornicularius praefecti,[8]) quod testatur ordo quo in laterculis Kellermanni recensentur.[9]) Praefuerunt cornicularii

---

[1]) Veget. l. s. s.

[2]) Dig. XLIX 16, 13, 4; L 6, 7 [6].

[3]) Mommsen Eph. epigr. IV p. 532.

[4]) tabulam singulorum munerum uigilum attulit Kellermann l. s. p. 20. 21 quem secuti sunt Wilman. exempl. no 1499 et Marquardt l. s. II^2 p. 557. 559.

[5]) v. Domaszewski apud P.-Wiss. s. u. beneficiarius (III 271).

[6]) Festus p. 33; aliter Veget. l. s. II 7: „beneficiarii ab eo appellati, quod promouentur beneficio tribunorum" uel praefectorum. Itaque non solum tribunis, ut facile quis e Veget. uerbis concluserit, sed etiam praefectis, subpraefectis aderant.

[7]) conf Kellermann l. s. p. 16. ib. inscr. 4. C. I. L. VI 220. 1056—1058. 1059. 2966. Kellerm. no 74. Cauer l. s. p. 392. 398 beneficiarios composuit.

[8]) C. I. L. VI 414. 1057. 1058. Wilm. 692. Cauer l. s. p. 414.

[9]) conf Kellerm. indicem p. 15 exhibitum in centuria Valentis et Verini.

scribarum collegio quo praefectus utebatur.[1]) Corniculariorum autem qui appellantur a corniculo cassidis,[2]) munus erat summum, quo uigiles gregarii fungi potuerunt, cum cornicularius praefecti promoueretur ad gradum centurionis legionis.[3]) Quaestionarii uel a quaestionibus praefecti,[4]) qui ab eo dicti sunt, quod in quaestione reos ad confessionem exprimendam torquerent, praesertim cum praefectus de incendiariis effractoribus furibus raptoribus cognosceret,[5]) in singulis cohortibus plures erant.[6]) Praeterea commentarienses uel a commentariis,[7]) qui acta diurna in commentarios rettulerunt eademque ratione atque cornicularii distributi erant, nisi praefecto non adfuisse uidentur, quod Cauer negat. Exceptores[8]) autem praefecti erant, qui uerba praefecti dictata celeriter exceperunt. Atque exceptore erat superior librarius praefecti, „qui in libros rettulit rationes" scil. pecuniae, frumenti, hordei „ad milites pertinentes".[9]) Singularis[10]) etiam praefecto uigilum aderat.

Deinceps, ut erat propositum, dicatur

de muneribus subpraefecti uigilum.

Subpraefecto uigilum aderant item beneficiarii,[11]) cornicularii,[12]) librarii.[13])

Sequitur, ut dicam

de muneribus tribunorum uigilum.

Tribunis uigilum aderant item beneficiarii,[14]) corni-

---

[1]) Mommsen Eph. epigr. IV p. 233.

[2]) conf Fiebiger apud P.-Wiss. ss. uu. cornicularius et corniculum no 2 (IV 1603. 1604).

[3]) Kellerm. l. s. inscr. 73.

[4]) C. I. L. VI 1057. 1058.

[5]) Dig. I 15, 3, 1. Apud legiones et cohortes urbanas quaestionarios inde non dictos esse Marquardt l. s. II^2 p. 552 adn. 1 argumentis euicit.

[6]) Kellerm. l. s. p. 20.

[7]) C. I. L. VI 1057. 1058. v. Premerstein apud. P.-Wiss. s. u. a commentariis no 5 (IV 762). Marquardt l. s. II^2 p. 547. Cauer l. s. p. 425.

[8]) C. I. L. VI 1056. 1058. 2406.

[9]) Veget. II 7. Dig. L 6, 7. Marquardt l. s. II^2 p. 550.

[10]) C. I. L. VI 1056.

[11]) C. I. L. VI 221. 1056—1058. Cauer l. s. p. 393. Kellerm. l. s. ind. p. 77.

[12]) C. I. L. VI 1058. 2997.

[13]) C. I. L. VI 221.

[14]) C. I. L. VI 221. 222. 1056—1058. 2406. 2987. 2988. Cauer l. s. p. 397.

cularii,[1]) exceptores[2]) librarii, praeter hos secutores, codicillarii.

Secutores[3]) enim tribunorum, qui promouebantur ex codicillariis tribunorum,[4]) erant in singulis cohortibus uigilum XIII uel XIV.[5]) Secutores ab eo sunt dicti, quod tribunos comitabantur eisque mandantibus semper praesto erant. Num autem singulares tribunorum fuerint, ualde dubium est, cum nota S. T. in laterculis uigilum non singularem tribuni, sed secutorem significet.[6]) Exceptores atque adiutores[7]) singulis tribunis plures[5]) adfuerunt, quibus librarii tribunorum superiores erant.[8]) Atque codicillariorum[9]) tribunorum munus quod nisi in cohortibus uigilum non reperiri Cauer[10]) planum fecit, infimum erat, nam promouebantur ex uigilibus gregariis.[11])

Proximum est, ut dicam

de muneribus centuriae.

Dubitari non potest, quin apud uigiles singulis centuriis singuli uexillarii[12]) adscripti fuerint. Fortasse ab iisdem uexillariis apud uigiles signa cohortium gerebantur.[13]) At Cauero[14]) probabilius uidetur esse cohortium signa apud uigiles nulla fuisse. Namque titulos, in quibus uexillariorum uigilum mentio fieret, per se incertos esse, quippe in quibus uexillarii cohortis alicuius uigilum commemorarentur non addita centuria. Alterum munus centuriae uigilum

---

[1]) C. I. L. VI 1057. 1059. 2984.
[2]) C. I. L. VI 1057. 1058. Cauer l. s. p. 432.
[3]) C. I. L. VI 221. 1056—1058. 2987. Cauer l. s. p. 404—406.
[4]) conf C. I. L. VI pag. 202 col. 2, (1), 108 cum pag. 205 col. 1, 13. conf pag. 202 col. 5, (3), 62 cum pag. 205 col. 4, (3), 8. conf pag. 203 col. 4, (6), 48 cum pag. 206 col. 1, (4), 11.
[5]) Kellerm. l. s. p. 21.
[6]) Cauer l. s. p. 403.
[7]) C. I. L. VI 220.
[8]) conf C. I. L. VI pag. 204 col. 1, (7), 34 cum pag. 206 col. 3, (5), 7.
[9]) C. I. L. VI 1056—1058.
[10]) Cauer l. s. p. 420.
[11]) conf C. I. L. VI pag. 202 col. 2, (1), 131 cum pag. 205 col. 1, (1), 54 et pag. 202 col. 3, (2), 68 cum pag. 205 col. 3, (2), 2.
[12]) C. I. L. VI 220. 221. 617. 1056—1058. 2965. Orelli 3480. Cauer l. s. p. 356. 357.
[13]) C. I. L. VI 215. 2962. 2981. 2987. X 1767.
[14]) Cauer l. s. p. 357.

erat tesserariorum,[1]) qui in singulis centuriis singuli fuerunt. Habebant id munus, ut tesseras h. e. tabulas quadratas ligneas[2]) uerbis quibusdam inscriptas[3]) quotidie a ducibus peterent et per stationes excubitoriaque nuntiarent.

Restat, ut pauca addam

de muneribus cohortis uigilum.

Imaginiferi,[4]) qui imperatoris imagines tulerunt, apud uigiles in singulis cohortibus erant. Cum ipsum munus magnam eorum dignitatem fuisse testatur, tum id, quod ex imaginifero promotum uidemus cornicularium praefecti[5]) et quaestionarium praefecti.[6]) Neque uero ullos aquiliferos apud uigiles fuisse Cauer[7]) demonstrauit. Idemque signiferorum exempla,[8]) quae ex cohortibus uigilum uulgo afferuntur, falsa esse argumentis euicit.[9])

Venio nunc ad eos uigiles gregarios, qui signa canunt. Quorum in uniuersum sunt tria genera:[10]) cornicines, tubicines, bucinatores. Neque uero apud uigiles nisi bucinatores[11]) fuisse uidentur, cum tubicines atque cornicines uigilum nusquam commemorentur neque in titulis VI 1057. 1058 ulla nota sit, quae ad haec munera referri possit. Bucinatores enim qui uigiliarum signum dederunt, in singulis cohortibus terni quaterniue fuerunt.

Praeterea cohortium uigilum muneribus fungebantur horrearii,[6]) balnearii, unctores,[7]) qui in balneis lauantium membra

---

[1]) C. I. L. VI 220. 221. 1056—1058. 1063. 2979. 3033. Orelli 3480. Cauer l. s. p. 452.
[2]) Polyb. VI 34.
[3]) Veget. III 5. Seru. ad Verg. Aen. VII 637.
[4]) C. I. L. VI 1056—1058. Cauer l. s. p. 374.
[5]) conf C. I. L. VI pag. 203 col. 4, (6), 6 cum pag. 201, 20 et pag. 206 col. 1, (4), 1.
[6]) conf C. I. L. VI pag. 203 col. 4, (6), 3 cum pag. 206 col. 1, (4), 3.
[7]) Cauer l. s. p. 360 quem secutus est Marquardt l. s. II[2] p. 545 adn. 4.
[8]) C. I. L. VI 742. IX 1625.
[9]) Cauer l. s. p. 358 quem secutus est Marquardt l. s. s.
[10]) Veget. II 22.
[11]) C. I. L. VI 221. 1057. 1058. Cauer l. s. p. 375. v. Domaszewski, Die Fahnen im röm. Heer 1885 p. 8. bucinam uigilum effossam „quae in semet aereo circulo flectitur" (Veget. III 5) depictam inuenies apud Magistris l. s. p. 23.
[12]) C. I. L. VI 1057. 1058.
[13]) Buecheler Rh. M. XXXIV 1879 p. 342. Kellermann l. s. p. 20 adn. 1 non negat, quamquam constet unctorem eum imprimis dictum esse qui in balneis lauantium membra unxerit, non omnino absurdam opinionem uideri

ungebant, carcerarii uel optiones carceris,[1]) uictimarii, qui in singulis cohortibus singuli fuisse uidentur.[2]) Horrearii custodiam horrei habebant rationesque illuc pertinentes in acta recepisse uidentur. Carcerarii autem, qui in singulis cohortibus item plures fuisse uidentur,[2]) inferiores erant optione centuriae.[3])

Restat, ut dicatur de fabris uigilum, qui sunt siphonarii, aquarii, centonarii, sebaciarii, emituliarii. Siphonarii uel sifonarii uel siponarii siphonibus, qui erant instrumenta ad incendia exstinguenda idonea, de quibus infra pluribus uerbis dicam, praeerant. Aquarii[4]) autem siphonibus aquam hamis haustam supportabant. Neque uero probabilis mihi esse uidetur Kellermanni[5]) sententia, qui dicit aquarios fuisse eos quos praefectus uigilum, cum iussus esset admonere „ut aquam unusquisque inquilinus in cenaculo haberet",[6]) atque tot tantaque officia iniuncta habuisset, ut omnia per se curare minime potuisset, e strenuis uigilibus elegisset, quibus hanc curam mandasset. Et centonarii centones, de quibus infra disseram, consuebant eosque ad exstinguendum, si quod oriretur, incendium suppeditabant.

Iam quaerendum est, quid sit illud sebaciarius. Qua de re quamquam multum est disputatum, tamen accuratius nihil est explicatum. Omnes autem titulos in parietibus excubitorii cohortis VII uigilum effossos annis MDCCCLXVI et sequentibus, qui ad sebacia uel sebaciaria uel sabaciaria uel subaciaria uel cebaciaria uel sebacciaria uel sebbaciaria uel satacea[7]) pertinent, composuit Henzen in C. I. L. VI sub n. 2998—3088. Idemque[8]) exposuit illud sebaciaria cum dixit uideri nomen sebaciorum deriuari a uerbo sebum, sebaceus et munus significare militi commissum hoc, ut per mensem excubitoribus uigilum noctu urbem percurrentibus

---

latere hic munus aliquod quod de unco nomen traxerit. Huius enim usum in incendiis exstinguendis frequentissimum debuisse esse.

[1]) C. I. L. VI 2406.

[2]) C. I. L. VI 1057. 1058. Kellerm. l. s. p. 21.

[3]) conf C. I. L. VI pag. 202 col. 2, (2), 10 cum pag. 205 col. 4, (3), 5.

[4]) Magistris l. s. p. 95.

[5]) Kellerm. l. s. p. 16.

[6]) Dig. I 15, 3, 4.

[7]) uarias lectiones huius uerbi composuit Desjardins, mém. de l'académie des inscript. et belles lettres XXVIII 2 1876 p. 271 sq.

[8]) Henzen annali dell' inst. arch. 1874 p. 120—124.

faces sebaceas praestaret. Qua in re Henzen nisus est face ex aere facta, quae effossa non procul ab excubitorio ad Monte di Fiore nunc conseruata est in Conservatorio al Campidoglio.[1]) Et recte quidem dicit Marquardt[2]) sebaciarios excubitoria uigilum illuminasse atque id secundum Magistris[3]) uasis fictilibus uel ferreis, quae erant completa sebo atque linamento. Quae cum ita sint, sebaciarii et excubitoribus uigilum noctu urbem percurrentibus[4]) faces sebaceas praestiterunt, quod mirum non uidebitur esse, cum urbis Romae uiae posterioribus temporibus publice sint illuminatae, et excubitoria eorumque portas[5]) illuminauerunt, quod munus militi in integrum mensem datum est teste titulo VI 3062.[6]) Quodsi interdum, qui sebaciaria facit, alium quendam in societatem muneris adsumpsit,[7]) alter tamen eorum partes primarias uidetur habuisse, neque unquam inuenimus duos eodem mense inscriptiones in memoriam rei peractae proposuisse. Neque uero silentio praetereunda esse arbitror quae alii docti hac de re in medium protulerunt, quibus cum facere non possum. Caetani Lovatelli[8]) enim sebaciarium laternariis praefectum etiam uias urbis illuminauisse putat, quod mihi uerisimillimum non uidetur esse, cum ille tot tantaque officia iniuncta haberet. Quid? Quod illa atque Magistris „oleum in caligas" sebaciarium praeparauisse dicunt, cum nisi sunt titulo VI 3053? At uero Mommsen ad titulum VI 3038 suo iure adnotauit haec: caligae in hoc uidentur esse ipsi milites gregarii.[9]) Atque Reber[10]) scripsit: daß es sich bei der sogenannten sebaciaria um eine Illumination als wesentlichen Teil der Feierlichkeiten oder Zeremonie handelt, darf außer Zweifel sein; gewiß ferner, daß dieses Fest aus mannigfachen Anlässen öffentlicher wie privater Natur begangen wurde, quem secuti sunt

---

[1]) Depicta est in bull. comm. XIV 1886 p. 262 et apud Magistris l. s. p. 80.

[2]) Marquardt l. s. II² p. 484 adn. 6.

[3]) Magistris l. s. p. 71 adn. 1.

[4]) C. I. L. VI 3038. Eph. epigr. VIII p. 283, 22 et p. 298.

[5]) C. I. L. VI 3038.

[6]) conf etiam C. I. L. VI 3053. 3057 e. a.

[7]) C. I. L. VI 3060. 3066. 3072.

[8]) Lovatelli l. s. p. 198.

[9]) conf etiam Mowat bull. des antiqu. de France 1896 p. 164.

[10]) Reber l. s. p. 322.

Capannari[1]) et Mowat.[2]) Qui conuenit? Namque illud „ad pompas" tituli VI 3038, quo illi uidentur esse nisi significat agmen uigilum siue ad incendia exstinguenda proficiscentium siue uicos circumeuntium, non, ut nostra lingua utar, Feierlichkeit, Festzug. Et in illo „portas" eiusdem tituli intelleguntur portae excubitoriorum uel stationum uigilum. Munus ipsum autem sebaciariorum inter annos CCX et CCXV p. C. n. constitutum esse Capannari[3]) ex tegulis in Caelio monte effossis collegit. Neque uero hoc est magnum argumentum. Apertum enim est illud munus iam prius esse institutum. Haec hactenus.

Item difficillima est quaestio de emituliario, quae num unquam ad liquidum perduci possit, ualde dubium est, cum nominis interpretatio omnino sit ignota.[4]) De Vit[5]) enim putat in uerbo emituliario illud emi ductum esse ab ama h. e. hama, qua in re iniuria nititur uerbis Dig. I 15, 3. 4.: „sciendum est autem praefectum uigilum per totam noctem uigilare debere et coerrare calciatum cum hamis", quam lectionem codd., non amis, illudque tuliarium a tulo, tuli, tulere, quod a consuetudine sermonis latini abhorrere mihi uidetur. Emituliarios igitur esse intellegendos aquarios. Secundum autem Desjardins[6]) et Cantarelli[7]) nomen emituliarii ab hemituliario ducitur emituliariusque est adiutor sebaciarii, qua de re iudicium iure fecit Henzen.[8]) Deinceps dicendum est de duabus nominis interpretationibus quas Nocella[9]) in medium protulit. Nocella enim pro EMITVLIARIO legendum esse putat FMITVLIARIO h. e. f (abro) mituliario, quod nomen ductum sit a mitulo uel mutulo. Quam infirma autem haec nominis emituliarii interpretatio sit, fortasse ipse intellexit, quod paulo post originem illius uerbi repetiuit a *τύλον, τύλη, τυλωτά,* cum dixit emitulium fustem ferro praefixum esse, quo uigiles noctu a furibus se defendissent. Nec praetermittenda

---

[1]) Capannari bull. comm. XIV 1886 p. 264.
[2]) Mowat l. s. s.
[3]) Capannari l. s. p. 250.
[4]) de diuersis nominis interpretationibus copiosius scripsit Mowat l. s p. 163—168.
[5]) De Vit, op. uar. VI p. 403.
[6]) Desjardins l. s. p. 265.
[7]) Cantarelli bull. comm. XV 1887 p. 88.
[8]) Henzen bull. dell' inst. 1882 p. 60.
[9]) Nocella bull. comm. XV 1887 p. 31. ibid. XVI 1888 p. 152.

est emituliarii interpretatio quam Mowat[1]) fecit. Enodauit enim id nomen cum docuit uocabulum emituliarii ab emendo dici, nam illud emptum esse pro em'tu quod esset pro emitu, similiter ac nomen gemitus ductum esse a gemendo. Quae cum ita essent, emitulum uel emitulium ex emitu deminutos esse emituliariumque eum, qui pro sebaciario emeret. Qua in re Mowat nititur titulorum VI 3057. 3076 uerbis: „ago gratias emituliaria" et „saluo emituliario". At opponam Mowatio illud „saluis commanipulis" uel „saluis commanipularibus".[2])

Ego quidem consentire malo cum Loeweo[3]) quem secuti sunt Henzen[4]) atque Ussing.[5]) Namque Loewe originem illius uerbi repetiuit ab emitolio uel emitylio uel emitulio,[6]) quod uocabulum est simile tritolio. Copulando *ἥμισυς* et *τύλη* uel *τύλος* uel *τυλεῖον* iuncta sunt. Quae cum ita sint, emitulia sunt intellegenda strata, quae per humum extensa hominibus incendium effugiendi causa ex fenestris desilientibus saluti essent, praesertim cum, ut supra dixi, ingentis altitudinis aedificia urbis essent. Atque etiam his temporibus uigiles stratis, quae nostra lingua Sprungtücher uocamus, utuntur. Et fortasse uerisimile esse uideri potest illa strata etiam ad incendia compescenda usui fuisse similiter ac centones.

Quibus rebus quamuis breuiter expositis satis docuisse uideor emituliarium eum fuisse qui emitulia uel strata incendio exorto suppeditauerit.

Medici, ut ad extremum illud ueniamus, in singulis cohortibus uigilum erant quaterni,[7]) quem numerum prae ceteris cohortibus exercitus Romani magnum fuisse forsitan quispiam dixerit. At Romae permulta et saeuissima incendia orta sunt. Medici autem maximam partem erant libertini, quorum adiutores

---

[1]) Mowat l. s. p. 166.
[2]) C. I. L. VI 3028. 3029. 3033. 3075. 3078. 3088.
[3]) Loewe bull. dell' inst. 1882 p. 191, quam sententiam De Vit ibid. p. 127 iniuria refellere conatus est.
[4]) Henzen ibid. p. 60.
[5]) Ussing ibid. p. 61 adn. 1.
[6]) Schmitz, Studien zu den Tironischen Noten, Festschrift zur 34. Philol. Versammlung zu Trier 1879 p. 67. 68.
[7]) C. I. L. VI 1058. 1059. Binos medicos in singulis cohortibus uigilum fuisse falso dixit Dr. Julian Marcuse, das Sanitätswesen in den Heeren der Alten, Umschau 1904 no 47 p. 924.

serui erant. Neque recte putat Henzen[1]) apud uigiles equites fuisse, quem secuti sunt Lovatelli[2]) et Marquardt.[3]) Semel enim, quantum scio, in titulo[4]) equitum mentio fit, ubi secundum Mommsen praestat ita accipere: „sebaciarius centuriae qu[i] es[t] factus.“[5])

Quoniam igitur de constitutione uigilum dixi, nunc explicabo **quae fuerint instrumenta ad incendia exstinguenda comparata, quibus uigiles usi sint.**

Vigiles Romani erant instructi non solum armis, sed etiam instrumentis, quibus incendia restinguerent, quae sunt centones, hamae, dolabrae, asciae, serrae, mallei, scalae, perticae, ferramenta, spongiae, siphones.

Prima fortasse subsidia erant centones, qui erant texta quaedam ex crassioribus, pilis et lana, quibus madefactis aedes contegebantur, ne tam facile ignem conciperent. Ab illo autem apparatu ducto centonarii[6]) sunt appellati. Atque etiam „patres instructiores“ familias inter „instrumenta domus acetum quoque, quod exstinguendi incendii causa paratur, item centones habebant“, [7])

[1]) Henzen annal. dell' instit. 1874 p. 119.

[2]) Lovatelli l. s. p. 192.

[3]) Marquardt l. s. II^2 p. 486.

[4]) C. I. L. VI 3045.

[5]) aliter hoc interpretatus est Desjardins l. s. p. 282.

In nonnullis municipiis quoque uigiles quidam similiter ac Romae erant constituti uelut Ostiae (Suet. Claud. 25), qua in urbe uexillationes uigilum erant (Eph. ep. VII no 1197—1211) quarum praepositus erat ex consuetudine unus ex tribunis cohortium uigilum (Eph. ep. VII no 1203—1206. 1210). Neque uero quot numero fuerint illi uigiles Ostiae consistentes, inuestigari potest. Ac ne illud quidem neglegendum est Ostiae castra uigilum effossa esse. (Lanciani, notizie degli scavi 1889 p. 18. 37. 72; mélanges d'archéol. et d'hist. 1889 p. 174. Magistris l. s. p. 50—62). Fortasse etiam Puteolis uigiles fuerunt (Suet. Claud. 25. Lanciani annal. dell' inst. 1868 p. 184. Mommsen Hermes XVI 1881 p. 645). Neque iure Suetonii locus cum uerbis Petronii (cap. 78 ed. B.): „itaque uigiles, qui custodiebant uicinam regionem, rati ardere Trimalchionis domum effregerunt ianuam“ coniunctus est uelut a Friedlaender index lect. Regismont. 1860 (at uide eundem in ed. Petron. cen. Trimalchion. 1891 p. 320), Henzen l. s. s., Preller, Regionen p. 95, cum illam fabulam ante Claudii tempora esse manifestum sit (Schanz, röm. Lit. II 2 p. 103). conf etiam Buecheler in ed. Petron. 1862 p. VIIII et quae infra (pag. 76 adn. 3) exponam.

[6]) Bluemner, Technol. u. Terminol. I p. 199. Liebenam, zur Geschichte u. Organisation des röm. Vereinswesens 1890 p. 102.

[7]) Dig. XXXIII 7, 12, 18.

ut incendium, si quod oriretur, „aceto madefactis centonibus“[1]) in ipso ortu opprimerent. Centones prima subsidia incendiis reprimendis comparata fuisse, uel inde intellegi potest, quod in municipiis ii, qui incendia exstinguebant, centonarii sunt appellati.

Hamis, quae erant uasa spartea pice illita, a quibus uigiles per ludibrium sparteoli[2]) sunt uocati, aquarii hauriebant aquam, qua siphones explebantur. At Barnabé Brisson[3]) scripsit: „sed qualis tandem hama fuerit, non satis constat; uerisimile est disturbandis aedibus, ut et dolabrum instrumentum fuisse. possumus etiam hamas suspicari uasa maiora fuisse, quae aqua uel aceto plena restinguendi ignis causa circumferrentur.“ „Sciendum est autem praefectum uigilum per totam noctem . . . coerrare . . . cum hamis et dolabris.“[4]) Et Plinius tum, cum „Nicomediae uastissimum incendium multas priuatorum domos et duo publica opera quamquam uia interiacente, Gerusian et Iseon, absumpsit“, Traiano imperatori scripsit[5]) „alioqui nullum usquam in publico siphonem, nullam hamam, nullum denique instrumentum ad incendia compescenda“ fuisse. Atque

> dispositis praediues annis uigilare cohortem
> seruorum noctu Licinus iubet.[6])

Dolabris[7]) quoque, quibus sine dubio aedes demoliebantur, ne flamma pergeret, uigiles erant instructi, quibus uigiles in municipiis[8]) Italiae illius aetatis et ubique his diebus. Praeterea gerebant ascias,[9]) serras,[10]) malleos.[10]) Sed ut centonibus uti possent, uigiles scalas et perticas habebant. Ferramentis[11]) etiam, quae ex una parte acie acuta, ex altera fossa-

[1]) Sisenn. IV fr. 107 apud Non. 91, 17.

[2]) schol. ad Iuu. sat. XIV 305: „per translationem disciplinae militaris Sparteolorum Romae, quorum cohortes in tutelam Vrbis cum hamis et cum aqua uigilias curare consueuerunt uicinis“. Tertul. apol. 39. Du Cange gloss. latin. s. u. sparteoli (VII p. 542).

[3]) Barnab. Brisson. select. antiqu. libr. II 8.

[4]) Dig. I 15, 3, 3.

[5]) Plin. epist. ad Traian. 33 ed. M.

[6]) Iuu. sat. XIV 305 sq.

[7]) dolabram effossam inuenies depictam apud Magistris l. s. p. 97.

[8]) Petron. c. 78 ed. B.: secures h. e. dolabrae.

[9]) duae asciae effossae sunt depictae apud Magistris l. s. p. 99.

[10]) depicti sunt apud Magistr. p. 100.

[11]) reliquiae ferramentorum sunt depictae apud Magistr. p. 98. 99. „de ferramentorum uarietate“ scripsit Cato „permulta, et genere et multitudine qua sint, ut falces palas rastros“ (Varro. rer. rust. I 22, 5).

ria, longo manubrio instructa erant, ad caedendum et perfringendum uigiles utebantur. Atque etiam spongiae[1]) ad incendia sedanda erant idonea. Huc spectat etiam, quod scripsit scholiastes Iuliani Antecessoris in Const. 23 cap. 88: „matricarii dicuntur illi, quos uidemus ad incendia currentes, et portantes spongias cum ferramentis“ quae supra explicaui „et alia ferramenta, per quae possint de pariete in parietem transire, et ita incendium extinguere.“ Quae ferramenta, „per quae possint de pariete in parietem transire,“ erant fortasse scalae quaedam ferreae uel ferratae. Matricarii autem, ut non omittam, uigiles Iustiniani temporibus sunt nominati secundum Du Cange[2]) uel a matricula, quod in matriculam praetoris relati sunt,[3]) uel a materia, quod mihi non uerisimilius uidetur esse. „Alii carpentarios interpretantur, glossae laudatae a Pithoeo: *ματρίκιον, τὸ παχὺ ξύλον καὶ πλατύ. ματρικάριοι, ξυλουργοί.*“[4]) Culleos quoque et fistulas plumbeas uel aereas uigiles gessisse puto.

At mirum est, quod in incendiis describendis siphonis quem nostra lingua Feuerspritze uocamus, mentio nulla fit. Vnde colligatur Romae illis temporibus omnino siphones non fuisse, quod effecit Jordan[5]) qui dicit haec: Wenn niemals von bedeutenderen Löschversuchen die Rede ist, so muß bei der Bekämpfung der zahlreichen großen Brände das Wasser eine ganz untergeordnete Rolle gespielt haben. Die Tatsache erklärt sich wohl zur Genüge daher, daß die Kenntnis beweglicher, die Wassermassen emporschleudernder Feuerspritzen ganz unbekannt, die Konstruktion der ihnen allerdings bekannten Spritzen für diesen Zweck unbekannt war“ quod nego. Pluribus uerbis liceat mihi disserere de siphone.[6])

Inuenit siphonem teste Vitruuio[7]) Ctesibius, qui Phila-

---

[1]) Dig. XXXIII 7, 12, 18.

[2]) Du Cange l. s. V p. 306.

[3]) ut monet Brisson, quem secutus est Magistris l. s. p. 97 adn. 1.

[4]) Du Cange l. s. s.

[5]) Jordan l. s. I 1, 460.

[6]) de siphone disseruerunt: Beckmann, Beiträge zur Geschichte der Erfindungen, Leipzig 1783 IV p. 430 sq. Buttmann, über die Wasserorgel u. die Feuerspritze der Alten, Abhandlg. d. Berl. Akad. d. W. 1810/11 p. 161—168. Schneider ed. Vitruu. tom. III p. 284 sq. Smith, dictionnary of Greek and Roman Antiquities, London 1890, I³ p. 570 s. u. Ctesibica machina.

[7]) Vitruu. X 7.

delpho et Euergete I regibus uiuebat,[1]) cuius a nomine illa machina Ctesibica dicebatur, quamquam postea mutata atque emendata est. Descripserunt autem siphonem Heron[2]) et Vitruuius.[3]) Hoc ipso loco liceat mihi commemorare machinam, quae similis est illi ab Herone descriptae et fortasse Antonino Pio imperatore facta est, anno 1795 ad Chiaruccia non procul a Civitavecchia effossam esse, quae descripta est in Giornale della letteratura italiana V 1795 p. 303—307.[4]) Ac ne illud quidem neglegendum est item machinam, quae Vitruuianae similis est, factam ex aere repertam esse exeunte saeculo proximo Volsiniis, quae nunc in museo Britannico est conseruata.[5]) Restat, ut admoneam anno 1895 Silchester in urbe Britanniae[6]) et nuperrime ad Diuodurum[7]) reliquias alterius machinae, quae est similis a Vitruuio descriptae, effossas esse.

Sed redeo ad rem. Vitruuius igitur descripsit machinam recentiorem, quae aliquanto est magis emendata Heroniana.[8]) Sunt autem qui hac in re dissentiant, uelut Schneider,[9]) qui scripsit haec: 'Hero autem ipse machinam a magistro Ctesibio inuentam emendasse et ad usum incendiorum restinguendorum publicum accommodasse atque introduxisse uidetur, quem Vitruuius plane ignorasse uidetur, cum notitiam machinae Ctesibianae aliunde translatam describeret in partibus aliquot diuersam et minus emendatam, nisi quis Vitruuii error intercesserit.' Quod falsum esse uel inde patet, quod machina Vitruuiana catinum habet,

---

[1]) Susemihl, alex. Literat. I p. 734. Christ, griech. Literat. 1905 p. 903 adn. 2.

[2]) Heron. pneum. I 28 ed. Schm. Hanc machinam adumbrauit Schmidt l. s. uol. I p. 133.

[3]) Vitruu. l. s. s. Adumbrauerunt hanc machinam Smith l. s. I³ p. 570 et Magistris l. s. s.

[4]) Hanc descriptionem maximam partem Schmidt in ed. Heron. pneum. uol. I p. XXXIII exscripsit. Machinam adumbrauerunt Schmidt l. s. I p. XXXV figg. 29 a. 29 b. Smith l. s. s. Magistris l. s. p. 91.

[5]) Magistris l. s. s.

[6]) Reliquiae huius machinae effossae sunt descriptae in Archeologia, published by the society of Antiquaries of London 1896 uol. 55 part. I p. 232—234. Adumbrauit reliquias Magistris l. s. p. 92 sq.

[7]) Frankf. Zeitg. L 1905 no 320 A. Wochenschr. f. klass. Philol. XXIII 1906 no 4 p. 110.

[8]) conf nunc etiam R. Meier, de Heronis aetate, diss. Lips. 1905 p. 36.

[9]) Schneider l. s. p. 284.

quam si partem siphonis necessariam Ctesibius cognitam habuisset, Hero sine dubio non omisisset. Neque uerisimillimum est machinae illum usum Vitruuium plane ignorasse, cum propter Heronis uerba *οἱ σίφωνες οἷς χρῶνται εἰς τοὺς ἐμπρησμούς* negari non possit Romanos demum Augusto imperatore cognouisse.

Ex quo tempore machina Ctesibica ad incendia exstinguenda Romae publice usui erat? Buttmann uel Augusto imperatore Romanos id fecisse putat. Sed cautius Beckmann ex Plinii[1]) et Apollodori[2]) locis collegit Traiani imperatore hoc instrumentum ad incendia compescenda fuisse adhibitum. Sine dubio enim Plinius, ut opinor, cum „Nicomediae nullum usquam in publico siphonem, nullum instrumentum ad incendia compescenda fuisse" Traiano scripsit, idem ea quae Romae illa aetate in incendiis adhibebantur domandis significauit. Atque firmum argumentum, quo Traiani temporibus siphones ad incendia exstinguenda usui fuisse demonstratur, Beckmann attulit haec uerba Apollodori:[2]) *κατὰ δὲ τὰ προκείμενα τοῖς πυροβόλοις μέρη, ἐπαίρει ἀντὶ σωλήνων βοῶν ἔντερα περιφέροντα ὕδωρ εἰς ὕψος τούτοις· ἀσκοὶ γὰρ πλήρεις ὕδατος παρατίθενται καὶ θλιβόμενοι ἀναφέρουσι. κἂν που ἀκρωτήριον καίηται δυσεπίβατον, μὴ ᾖ δὲ ὄργανον ὃ καλεῖται σίφων, κάλαμοι πάλιν τετρημένοι ὥσπερ οἱ τῶν ἰξευτῶν ἁρμόζονται ὅπου δεῖ φέρειν αὐτοὺς ὕδωρ, ἀσκοί τε πλήρεις πιεζόμενοι ἐκθλίβουσι δι' αὐτῶν ἐπὶ τὸ καιόμενον τόπον.* Quinto autem uel potius quarto[3]) saeculo siphonem Ctesibicam machinam intellectam esse Hesychius s. u. *σίφων* docet, atque ineunte septimo saeculo Isidorus,[4]) apud quem haec scripta uidemus: „siphon uas appellatum, quod aquas sufflando fundat; utuntur enim hoc orientales, nam ubi senserint domum ardere, currunt cum siphonibus aqua, et extinguunt incendia, sed et camaras expressis ad superiora aquis emundant." Quo ex loco colligatur siphonem in occidentis partibus usque ad illud tempus ignotum fuisse.

Quae cum ita sint, fortasse ineunte secundo saeculo ipsa Roma siphones publice ad incendia exstinguenda in usu fuisse arbitror.

---

[1]) Plin. epist. ad Traian. 33.
[2]) Apollod. poliorcet. p. 174 ed. Wesch.
[3]) C. I. L. VI 3744.
[4]) Isid. orig. XX 6, 9.

Sunt autem qui putent ex Vlpiani uerbis:[1]) „(instrumentum domus esse) item centones sifones" colligi posse iam Vlpiani aetate priuatos siphones fuisse. At siphones, quorum Vlpianus mentionem facit, siphunculos esse puto.

Restat ut alia subsidia ad incendia restinguenda idonea commemorem, in quibus erat, ut supra dixi, „acetum quoque, quod exstinguendi incendii causa paratur." Argumentum autem est, quod apud Macrobium[2]) scriptum uidemus: „solum enim hoc scil. acetum ex omnibus humoribus crescentem flammam uiolenter extinguit". Atque uerisimillimum est uigiles cum ad incendium compescendum proficiscebantur, culleos aceto completos gessisse, quo centones madefaciebant. Fortasse etiam alumen in his subsidiis ducendum est. Namque Q. Claudium Quadrigarium in annalium libro undeuicesimo uberius docuisse „qua medela quaque sollertia ignis defenderetur, ut ne ulla aedificatio e ligno correpta atque insinuata flammis arderet" auctor est Gellius.[3]) Atque etiam sale sabuloque flamma arceri uel restingui potest.[4])

Nunc dicamus

de stationibus excubitoriisque uigilum.

Septem cohortes uigilum, ut supra dixi, erant ita constitutae ut binas regiones urbis unaquaeque cohors tueretur et opportunis locis stationem haberet. Separanda autem sunt ab illis septem stationibus quattuordecim excubitoria, quae enumerantur Notitia Curiosoque urbis XIV regionum:[5]) „uigilum VII quorum excubitoria XIIII".[6]) Neque tamen omnino absurdum est, cum binae regiones singulis cohortibus assignatae essent, in altera stationem principalem totius cohortis, in altera nisi excubitorium non fuisse, unde egressi excubitores facile ubi opus fuerit, commilitones euocare potuerint. Huc fortasse spectat etiam illud Dionis[7]) *οἱ γὰρ τὰς συνοικίας νύκτωρ φυλάσσοντες κωδωνοφοροῦσιν, ὅπως σημαίνειν σφίσιν ὁπόταν δεηθῶσι δύνωνται.* Quid? Quod Ioannes

---

[1]) Dig. XXXIII 7, 12, 18.
[2]) Macrob. sat. VII 6, 12. Plut. quaest. conuiu. III 5, 12.
[3]) Gell. noct. attic. XV 1, 4.
[4]) Cato de agr. 54, 2.
[5]) Jordan l. s. II p. 573.
[6]) Mirum est, quod in Notitia Curiosoque urbis reg. XIV castra uigilum appellantur non castra uel stationes, ut fere fit, sed „cohortem I uigilum", „cohortem II uigilum" e. a. atque in breuiariis illorum excubitoria.
[7]) Dio LIV 4, 4.

Lydus[1]) commemorat Romae Iustiniani temporibus incendio orto uigiles conclamasse: omnes collegiati ⟨adeste⟩. Quattuordecim excubitoriorum adhuc duo sunt effossa,[2]) inter quae septimae cohortis anno 1866.[3]) Septem stationum autem adhuc quattuor sunt repertae:[4]) primae, secundae, quartae, quintae cohortium. Quo modo singulae cohortes per regiones urbis fortasse essent distributae, indicet haec tabula, quae abhorret aliqua ex parte a tabula ab Jordano facta,[5]) quam secutus est Marquardt.[6])

regiones	cohortes		stationes secundum Notitiam u. XIV reg.
I	V		
II			V
III			
IV	II		
V		III	II
VI			III
VII			I
VIII	I[7])		VI
IX		VI[8])	
X			
XI			
XII	IV[9])	VII[10])	IV
XIII			
XIV			VII

[1]) Lyd. de mag. I 50. Symmach. relat. 14, 3.

[2]) Lanciani ancient Rome 1891 p. 224. 229.

[3]) Henzen bull. dell' inst. 1867 p. 8. idem annal. dell' inst. 1874 p. 111. Richter l. s. p. 274.

[4]) De Rossi annal. dell' inst. 1858 p. 265—297. 391—392. Lanciani bull. arch. munic. 1873 p. 252. idem a. R. p. 224 sq.

[5]) Jordan l. s. I 1 p. 307.

[6]) Marquardt l. s. II[2] p. 486 adn. 1. conf etiam Kellerm. l. s. p. 3. Preller l. s. p. 95. Richter l. s. p. 54. Lovatelli l. s. p. 204.

[7]) Jordan l. s. s. attribuit huic cohorti reg. VII et VIII, at I 1 p. 308 et II p. 122 quas ego.

[8]) Jordan l. s. I 1 p. 307 illi attribuit reg. X et XI, at II p. 122 quas ego.

[9]) dissentiunt Preller: reg. XI et XII. De Rossi: reg. XI, XII, XIII. Henzen: reg. XII, XIII, XIV.

[10]) Jordan l. s. I 1 p. 307 huic cohorti attribuit reg. IX et XIV. Richter l. s. p. 54 adn. 3 dicit regiones IX et XIV in titulo VI 3052 absurde esse coniunctas, „denn dann müßte die siebente, die sonst nur an Regionen stößt, in

Quae cum ita sint, tuebantur cohors prima regiones VII et IX, cohors secunda regiones III et V, cohors tertia regiones IV et VI, cohors quarta regiones XII et XIII, cohors quinta regiones I et II, cohors sexta regiones VIII et X, cohors septima regiones XI et XIV.

Neque uero cum tituli uigilum effossi aetate priores sint ineunte tertio saeculo et Notitia status urbis Romae Constantii temporibus depingatur, uerisimillimum est primam cohortium discriptionem ab Augusto factam plane cognosci posse.

Statio primae cohortis uigilum[1]) sita erat in septima regione inter uiam latam et Serapidis templum, id quod elucet etiam ex forma Capitolina urbis Romae.[2]) Neque uero ubi statio secundae cohortis[3]) fuerit, affirmari potest. Sed fortasse prope aedem cui nomen est S. Bibiana, uel ad Porta Maggiore h. e. portam Labicanam erat sita. Ceterum iuxta hanc stationem erat ille fons, de quo in lite quae fullonum dicitur, actum est.[4]) Stationes autem tertiae cohortis[5]) ad portam Viminalem, quartae cohortis[6]) iuxta portam Naeuiam[7]) erant sitae. Et sub radicibus Caelii montis aduersus Macellum magnum quintae

denen sich Kohorten befanden (VIII u. VI), für sich u. dafür XI, XII, XIII unter einer Kohorte, der vierten, vereinigt gewesen sein. Dies ist aber bei der sicher nicht zufälligen Zahl von 7 Kohorten für 14 Regionen kaum glaublich, quae causa mihi non probatur; at ego quidem puto errore IX pro XI in titulo illo incisum esse.

[1]) Preller l. s. p. 136. Lanciani a. R. p. 224—226. Magistris l. s. p. 26—32. C. I. L. V 867. 930. VI 233. 1056 (an. 205). 1063 (an. 212). 1064. 1092 (an. 241). 2959—2961. X 3902. 5064. Notizie degli scavi 1902 p. 464.

[2]) Haec formae urbis pars depicta est apud Magistris l. s. p. 29. 31.

[3]) C. I. L. II 2424. V 7003. VI 485 (an. 210). 1059. 2962—2968. 32752. X 4834. XIV 6. 13. 14. 214. 230. 2057. 4007. Preller l. s. p. 131. De Rossi annal. dell' inst. 1850 p. 280; ibid. 1858 p. 279. Lanciani l. s. p. 226. Magistris l. s. p. 32—33.

[4]) Bremer Rh. M. XXI 1866 p. 16 sq.

[5]) C. I. L. II 3399. VI 1063. 1064. 1626. 2969—2971. 32753—32756. X 1202. 5829. XIV 3626. XV 7245. Preller l. s. p. 135. Lanciani bull. arch. munic. 1873 p. 250. idem a. R. p. 226. Jordan l. s. II p. 122. Huelsen Rh. M. IXL 1894 p. 417. 421. Richter l. s. p. 298. Magistris l. s. p. 33—36.

[6]) C. I. L. III 14387. VI 219. 220. 324. 643. 1023. 1055. 1063. 1064. 2972—2976. VIII 9045. XIV 6. 13. 221. not. d. scav. 1902 p. 357. De Rossi annal. dell' inst. 1858 p. 392. Lanciani a. R. p. 226. Magistris l. s. 36—38.

[7]) Kiepert-Huelsen form. urb. Rom. antiqu. tab. II hoc loco adnotauerunt coh. II.

cohortis[1]) statio erat. Neque quicquam certi constat, ubi statio sextae cohortis uigilum[2]) fuerit. Quae statio Notitia XIV regionum[3]) enumeratur inter „templum diui Traiani et columnam cochlidem“ et „basilicam argentariam“. Itaque Jordan[4]) ad portam Ratumenam illam sitam esse putat, quod mihi non uerisimile uidetur esse, cum haud procul inde statio primae cohortis sit. Ego quidem facio cum Lanciani[5]) qui opinatur prope Piazza della Consolazione stationem huius cohortis sitam fuisse. Statio autem septimae cohortis, quae in regione XIV sita erat, adhuc non effossa est.

Restat, ut dicam excubitorium septimae cohortis[6]) in ea parte regionis XIV quae spectat ad orientem.

Satis dictum esse arbitror de uigilibus ipsis, restat ut doceam

3. De praefecto uigilum

uel praefecto uigilibus[7]) uel nocturnae custodiae praefecto,[8]) qui Graeca lingua uocatur *ὁ τῶν νυκτοφυλάκων ἄρχων*[9]) uel *ὁ ἔπαρχος ὁ νυκτοφυλακῶν.*[10])

Ac primum quidem dicam

de ordine praefecti uigilum

Primo praefectus uigilum ex equestri ordine creabatur, cui honore superiores erant praefecti annonae, Aegypti, praetorio.[11]) Semel

---

[1]) C. I. L. II 4461 (ubi errore suppletum „urb.“) V 534. VI 1057. 1058. 1063. 1064. 1599. 1636. 2977—2983. X 3880. 5187. 5669. XIV 15. 230. 226. 3626. Borghesi oeuvr. compl. III p. 542 sq. VII p. 8 sq. Preller l. s. p. 120. Lanciani l. s. p. 227—229, ubi p. 227 statio effossa depicta est. Magistris l. s. p. 38.

[2]) C. I. L. VI 1063. 1064. 2984—2992. 32757. 33003. X 1127. 6674. XIV 215. not. d. scav. 1903 p. 122.

[3]) Jordan l. s. II p. 552.

[4]) Jordan l. s. I 1 p. 308 adn. 11.

[5]) conf etiam Magistris l. s. p. 41.

[6]) C. I. L. VI 2959—3091. X 1768. XIV 231. Pellegrini bull. dell' inst. 1867 p. 8—12. Henzen annal. dell' inst. 1874 p. 111. Nocella bull. arch. munic. 1887 p. 31; ibid. 1888 p. 152. Magistris l. s. p. 41 sq. Depictum est excubitorium effossum apud Lanciani a. R. p. 230 et Magistris l. s. p. 42. 43. 47.

[7]) Dig. XLVII 2,58. C. I. L. VI 233. not. d. scav. 1903 p. 576.

[8]) Apul. metam. III 3.

[9]) Dio LVIII 9, 6.

[10]) Dio LII 33, 1.

[11]) Dio LII 24, 6. Liebenam, Laufbahn der Prokuratoren p. 87 sq.

autem praefectus uigilum, cui nomen C. Tettius Africanus erat, ad praefecturam annonae promotus est, idque ante annum LXXX p. C. n.[1]) Quid? Quod semel uice praefecti uigilum cui nomen Alcimus Felicianus erat, item ad annonae praefecturam promotus est.[2]) Ad praefecturam autem Aegypti praefecti uigilum, ut fere fiebat, ascendebant uelut C. Tettius Africanus,[3]) T. Haterius Nepos,[4]) Q. Rammius Martialis.[5]) Neque raro uigilum praefecti ad ipsum gradum praefecti praetorio promouebantur uelut Ofonius Tigellinus,[6]) Plotius Firmius,[7]) Tattius Maximus,[8]) L. Petronius Volusianus,[9]) Iulius Placidianus.[10]) Atque Claudio imperatore Graecinius Laco praefectus uigilum ad Galliae procuratorem traductus est,[11]) qua ex re non esse concludendum Hirschfeld[12]) recte dicit tum praefectum uigilum inferiore dignitatis gradu fuisse, sed ad tempus a Claudio procuratori illius prouinciae superiorem honorem tributum esse. Praeterea Iulius Paelignus praefectus uigilum annis LI uel LII p. C. n. procurator Cappadociae factus est.[13])

Honores etiam magistratuum praefectis uigilum sunt tributi uelut Tiberio imperatore quaestorii Graecinio Laconi,[14]) qui cum procurator Galliae esset ab eodem imperatore ornamentis consularibus ornatus est.[15]) Vel tertio saeculo praefecti appellabantur perfectissimi[16]) atque etiam eminentissimi,[17]) quae appel-

---

[1]) C. I. L. III 35. XI 5382. Hirschfeld Philol. XXIX 1870 p. 29.

[2]) Dessau prosop. lat. I p. 179 no 1124.

[3]) ibid. III p. 308 no 100.

[4]) ib. II p. 127 no 21. Meyer Hermes XXXII 1897 p. 219.

[5]) ib. III p. 125 no 16. Meyer l. s. p. 218.

[6]) ib. III p. 250 no 540.

[7]) ib. III p. 53 no 382.

[8]) ib. III p. 297 no 28.

[9]) ib. III p. 30 no 231 qui etiam consul factus est. Ph. Fabia, revue de philol. XXII 1898 p. 140. Liebenam l. s. p. 48. adn. 1.

[10]) ib. II p. 206 no 313.

[11]) ib. II p. 121 no 129. Liebenam l. s. p. 47 adn. 4.

[12]) Hirschfeld K. V.-B. p. 255 adn. 2.

[13]) Fabia l. s. p. 133—145.

[14]) Dio LVIII 12, 7.

[15]) Dio LX 23, 3. C. I. L. V 3340.

[16]) uelut C. I. L. VI 266. 1180. 1181. XII 2228. Eph. ep. VII no 1210. 1211. Wilm. 1639 (an. 261). Kellerm. l. s. no 19 errore u(ir) c(larissimus).

[17]) C. I. L. VI 30960. Eph. ep. VII no 1204—1206 (an. 207) ad quos titulos uide Hirschfeld l. s. p. 255 adn. 4. Eph. ep. VII no 1207 (an. 211). 1209 (an. 217).

lationes praefectorum praetorio erant propriae. Gordiani autem temporibus praefecti uigilum erant rursus perfectissimi. Quid? Quod ineunte quarto saeculo illi erant clarissimi[1]) atque postea fortasse spectabiles,[2]) quae appellationes posterioribus temporibus Caesarianis ad senatores uel magistratus ordinis senatorii pertinebant. Qua ex re fortasse colligi potest posterioribus temporibus etiam senatores uel senatorii ordinis munere praefecti uigilum fungi potuisse. Creabantur praefecti uigilum in incertum tempus.[3])

Nunc consideremus,

quae fuerint officia praefecti uigilum.

Officia praefecti uigilum erant militaria atque iudicialia. De officiis autem, quae ad rem militarem pertinent, apud Paulum[4]) qui libro singulari de officio praefecti uigilum scripsit, uerba sunt haec: „Sciendum est autem praefectum uigilum per totam noctem uigilare debere et coerrare calciatum[5])

---

[1]) uelut C. I. L. VI 233. 1144. 1157. Eph. ep. VII no 1214.

[2]) Dig. I 15, 3, 1.

[3]) Bremer Rh. M. XXI 1866 p. 40 adn. 80. Mommsen R. St.-R. II[3] p. 1057. Praefecti uigilum in municipiis quoque atque prouinciis fuerunt, ut Rauennae (Cassiod. uar. VII 8), Fauentiae (C. I. L. XI 629), Tuderte (C. I. L. XI 4655), Nemausi (C. I. L. XII 3002. 3166. 3210. 3213. 3223. 3232. 3247. 3259. 3274. 3296. 3303. Fisch, Tarracina-Anxur und Kaiser Galba im Romane des Petron Arbiter 1898 p. 6 in titulo XII 3212 praefecti uigilum mentionem fieri dicit nulla indicta causa. Hirschfeld gallische Studien III: der praefectus uigilum in Nemausus u. die Feuerwehr in den röm. Landstädten, Sitzungsber. d. Wiener Akadem. d. W. CVII 1884 p. 239—257. Mommsen Hermes XIII 1878 p. 112.) ubi cura incendiorum penes collegium fabrorum, dendrophorum, centonariorum (Maué, die Vereine der fabri, centonarii und dendrophori im röm. Reich, Progr. Frankfurt a. M. 1886. Hirschfeld Sitzgsb. d. Wien. Akad. a. s. p. 245 sq. Liebenam, röm. Vereinswesen p. 102. Ipsa Roma cura incendiorum nunquam penes haec collegia erat) fuit quibus praeerat praefectus uigilum (Hirschfeld l. s. p. 241. Cagnat de municipalibus et prouincialibus militiis in imperio Romano 1880 p. 112.) uel praefectus uigilum et armorum ut Nemausi. Num praefectus uigilum et armorum Nemausiensis similis fuerit praefecto uigilum Romae, in medio relinquam. Lugduni autem num praefectus uigilum et armorum fuerit, Hirschfeld l. s. p. 240 adn. 2 et in Sitzgsb. d. Berl. Akadem. d. W. 1891 p. 875 ualde dubium esse putat.

[4]) Dig. I 15, 3, 3.

[5]) De illo „calciatus" multum est disputatum. Sunt qui putent aliquid uitii hic subesse. Alii pro calciato caligatum, alii falcatum, alii falcitum legunt quasi falcibus muralibus instructum ad diruendas aedes

cum hamis et dolabris, ut curam adhibeant omnes inquilinos admonere, ne negligentia aliqua incendii casus oriatur. praeterea ut aquam[1]) unusquisque inquilinus in cenaculo habeat, iubetur admonere."

Praeterea praefectus uigilum, ut supra dixi, posterioribus temporibus ius dicebat, quam ob rem illum iuris peritum esse necesse erat.[2]) Namque constat inter omnes in lite quae fullonum dicitur, praefectos uigilum legitimos fuisse iudices.[3])

Idemque Paulus de hoc munere praefecti uigilum copiosius disseruit, apud quem haec uerba scripta uidemus: „Cognoscit praefectus uigilum de incendiariis effractoribus furibus[4]) raptoribus receptatoribus, nisi si qua tam atrox tamque famosa persona sit, ut praefecto urbi remittatur. et quia plerumque incendia culpa fiunt inhabitantium, aut fustibus castigat eos qui neglegentius ignem habuerunt, aut seuera interlocutione comminatus fustium castigationem remittit . . . . et custodes plerumque puniuntur, et ita diuus Antoninus Erucio Claro rescripsit. ait enim posse eum horreis effractis quaestionem habere de seruis custodibus, licet in illis ipsius imperatoris portio esset. aduersus capsarios quoque, qui mercede seruanda in balineis uestimenta suscipiunt, iudex est constitutus, ut, si quid in seruandis uestimentis fraudulenter admiserint, ipse cognoscat. imperatores Seuerus et Antoninus Iunio Rufino praefecto uigilum ita rescripserunt: insularios et eos qui neglegenter ignes apud se habuerint, potes fustibus uel flagellis caedi iubere." At quod caput est, capitales cau-

---

inflammatas. Alii retinent calciatum cum dicunt hanc rationem subfuisse, ut uelociores pedibus essent, si cui incendio exstinguendo interesse deberent uel hanc uocem indicare pedibus non equis praefectum coerrare debuisse. Alii mirantur cur hoc tam sollicite a Paulo adiectum sit, quod Romani nunquam sine dedecore in publicum prodierint. Immo equidem putare malo calciatum retinendum esse, quod librarii errore cum coerrare est coniunctum, quod sine controuersia cum uigilare est iungendum. Nam uestiti atque calciati praefecti uigilum uigilare debuerunt.

[1]) Tac. ann. XV 43.

[2]) Bremer l. s. p. 33. Mommsen, röm. Strafrecht p. 274.

[3]) Bremer l. s. p. 1 sq. Mommsen ad C. I. L. VI 266. idem R. St.-R. II[3] p. 1057 sq. Karlowa, röm. Rechtsgeschichte I p. 559 adn. 3.

[4]) conf etiam Dig. XLVII 2, 57 [56]: qui furem deducit ad praefectum uigilibus uel ad praesidem, existimandus est elegisse uiam, qua rem persequeretur. conf etiam Dig. XII 4, 15: praefectus uigilum eum summo supplicio adfecit.

sas praefectus uigilum ad praefectum urbi remittere debebat: „eos autem, qui dolo fecisse incendium conuincentur, ad Fabium Cilonem praefectum urbi amicum nostrum remittere“ uel „praefecti uigilum huius urbis nihil de capitalibus causis sua auctoritate statuere debent, sed si quid huius modi euenerit, culmini tuae potestatis referre, ut de memoratis causis celsiore sententia iudicetur“.[1])

Praeterea praefectus uigilum secundo saeculo magistris uicorum praeerat.[2])

Spectat etiam ad illa officia praefecti uigilum „formula praefecti uigilum urbis Romae“, quam Cassiodorus[3]) memoriae tradidit. Ac ne illud quidem silentio praetereundum est ad Cirtam oppidum Numidiae titulum effossum esse,[4]) in quo eadem formula praefecti uigilum est quam Cassiodorus docuit.

Quoniam de officio iudiciali praefecti uigilum dixi, hic mihi breuissime liceat docere, quibus poenis ii, qui dolo fecisse incendium conuicti erant, afficerentur.[5]) Ex ipsa lege XII tabularum is qui dolo incendium fecerat, eadem poena multabatur qua qui caedem fecerat.[6]) Posterioribus autem temporibus Romae, ut res summas attingam, erant hae poenae constitutae: „incendiarii capite[7]) puniuntur, qui ob inimicitias uel praedae causa incenderint, intra oppidum: et plerumque uiui exuruntur“;[8]) „si humiliore loco sint, bestiis obici solent: si in aliquo gradu id fecerint, capite puniuntur aut certe in insulam deportantur“.[9]) „Fortuita incendia, si, cum uitari possent, per neglegentiam eorum, apud quos orta sunt damno uicinis fuerunt, ciuiliter exercentur (ut qui iactura adfectus est, damni disceptet) uel modice uindicaretur“.[10])

---

[1]) cod. Iust. I 43, 1.

[2]) Mommsen l. s. II[3] p. 1036. Hirschfeld l. s. p. 256.

[3]) Cassiod. uar. VII 7. idem habet formulam quoque praefecti uigilum urbis Rauennatis (uar. VII 8).

[4]) C. I. L. VIII 2297. Henzen bull. dell' inst. 1868 p. 63.

[5]) copiosius hac de re disseruit Mommsen, röm. Strafr. p. 646. 657 adn. 6. 836. 840 sq. 923 adn. 3.

[6]) Mommsen l. s. p. 841.

[7]) Dig. XLVIII 8, 10: si quis dolo insulam exusserit, capitis poena plectetur quasi incendiarius.

[8]) Dig. XLVIII 19, 28, 12.

[9]) Dig. XLVII 9, 12.

[10]) conf adn. 8. Dig. XLVII 9, 11: si fortuito incendium factum sit, uenia indiget, nisi tam lata culpa fuit ut luxuria aut dolo sit proxima.

Appendicis huius capitis loco hanc tabulam adicere mihi liceat, quae contineat praefectos atque subpraefectos uigilum urbis Romae temporum Caesarianorum. Neque enim tabula praefectorum quam Hirschfeld[1]) attulit, plena est. Testimonia composuit Dessau in Prosopographia imperii Romani.

nomen praefecti	argumenta	annus	nomen subpraefecti	argumenta
*C. Ai..... Fla......	C. I. L. XIV 3947	7 p. C. n.		
P. Graecinius Laco	Dessau II 121, 129. C.I.L. VI 31857[2])	31 p. C. n.		
Decrius Calpurnianus[3])	II 5, 26	48		
Iulius Paelignus[4]) (Laelianus)	II 203, 298; 260, 22	49		
Ofonius[5]) Tigellinus	III 250. 540	60/61		
Annaeus Serenus[3])	I 61, 459	62		
Plotius Firmius	III 53, 382	69		
C. Tettius Africanus[6])	III 308, 100	69/79		
Cn. Octauius Titinius Capito	II 429, 41	98/102		
Q. Rammius Martialis	III 125, 16	111 . 113	C. Maesius Tertius	II 323, 64
T. Haterius Nepos	II 127, 21	119/120		
C. Tattius Maximus	III 297, 28	156	T. Flauius Anterotianus	II 63, 140
? M. Bassaeus Rufus	I 230, 57	ca. 160		
		166	T. Desticius Seuerus	II 8, 50
Aelius Iulianus	I 18, 146 C. I. L. VI 30945	181/190		
Clodius Catullus[7])	I 415, 909	191	Orbius Laetianus	II 437, 87
Didius Saluius Iulianus	III 164, 102	192/193		
T. Flauius Latinianus	II 69, 194 Eph. ep. VII 1203	195		
Ti. Claudius Vibianus Tertullus	I 403, 832	193/217		

---

[1]) Hirschfeld, röm. Verwaltungsgeschichte 1877 p. 145.

*) significat praefectos uigilum quos Hirschfeld omisit.

[2]) „Laco praef. uig. XIII“; cum enim numerus XIII neque ad munus iteratum Laconis neque ad numerum ordinarium praefectorum uigilum spectare possit, Gatti (notizie degli scavi 1889 p. 105; bull. comm. 1889 p. 151—153) suspicatus est Laconem in omnibus quattuordecim excubitoriis uigilum sigilla siue numinis diuini siue imperatoris dedicasse, quorum hoc effossum proximum extremo esset. conf etiam Ph. Fabia l. s. p. 141.

[3]) mortuus est cum hoc munere fungeretur.

[4]) Fabia l. s. p. 133—145. Hirschfeld l. s. p. 146 qui scripsit Laelianum falso habet Vat. p. 682 pro Val. p. 682.

[5]) Fabia, revue de philol. XXI 1897 p. 160—166.

[6]) Kellermann l. s. p. 27 uig. anno XIV p. C. n. falso adscripsit. Hirschfeld l. s. p. 146 no 7 scripsit errore Philol. 1869 pro Philol. XXIX 1870.

[7]) Lanciani a. R. p. 226.

nomen praefecti	argumenta	annus	nomen subpraefecti	argumenta
T. Flauius Pompeius Magnus	II 70, 203	199—200 [1]		
C. Iunius Rufinus	II 242, 530	203—205	C. Iunius Balbus	II 234, 475
Cn. Marcius Rustius Rufinus	II 339, 177	205—207	C. Laecanius Nouatillianus	II 260, 20
C. Iulius Quintilianus	II 211, 341	210—211	M. Firmius Amyntianus	II 60, 121
Erucius Clarus	II 39, 69 [2]	211/217		
Cerellius Apollinaris	I 337, 553	212		
*Valerius Titanianus	III 378, 142	217	Flauius Lupus	Eph. ep. VII 1209
Cordius	I 437, 1039	218/222		
Aurelius Concordius	I 203, 1233	218/222	Saluius Saluianus	III, 170, 112
*C. Iulius Paternus	II 203, 300 C. I. L. VI 30960	223		
Cr..... Seuerinus	III 232, 443	225		
Aelius Florianus	I 15, 133	226/244		
Herennius Modestinus	II 137, 79	226/244		
Faltonius Restitutianus	II 55, 82	226/244		
*.....o.....	Eph. ep. VII 1210	239	Aelius Spectatus	I 23, 183
....ltius[3]) Philippus	III 34, 270	241		
*Valerius Valens	III 378, 147	241/244	Valerius Alexander	III 351, 23
		241/244	Iulius Magnus	II 199, 265
T.[4]) Petronius Taurus Volusianus	III 30, 231	ca. 260		
*Iulius Placidianus	II 206, 313	269		
*Postumius Isidorus	C. I. L. VI 1144	306/377		
*Rupilius Pisonianus	C. I. L. VI 1157	306/377		
*Flauius Maximus	C. I. L. VI 1180. 1181	364/375		
*Au. Maximilianus	C. I. L. VI 233	incertus		
*C. Percennius Reginus[5])	C. I. L. VI 2966	incertus		
*......us Scaeuola	Eph. ep. VII 1215	incertus		
*....... Marcius	Eph. ep. VII 1214	incertus		
*..........	C. I. L. IX 5440	incertus		
*..........	C. I. L. IX 1595	incertus		
		incertus	Ti. Claudius Zeno Vlpianus	I 403, 837
		incertus	Valerius Titus	III 378, 143
		incertus	....us Archelaus	I 128, 834
		incertus	Aurelius Va.....	I 217, 1309
		incertus	Priscus	III 97, 722
		incertus	.....tone	Eph. ep. VII 1213

[1]) a pr. k. Iun. a. CXCIX ad id. Febr. a. CC.

[2]) facere non possum cum Dessau qui dicit Erucium Clarum, cuius Dig. I 15, 3, 2 mentio fiat, praefectum urbi esse, non de alio Erucio Claro praefecto uigilum cogitandum esse.

[3]) Kellermann: .....itius Philippus.

[4]) Kellermann: L. Petronius Taurus Volusianus.

[5]) conf p. 79 adn. 3 h. l.

Vt ad extremum illud ueniamus, nunc pauca

Caput III.

De Volcanalibus aliisque religionibus quae pertinent ad incendia arcenda

dicamus.

Volcanalibus [1])

quae celebrabantur a. d. X kal. Sept. quotannis[2]) in circo Flaminio,[3]) numini incendiorum potenti h. e. Vulcano incendiorum arcendorum causa sacrificabant, cum pisces uiuentes in ignem iaciebant.[4]) Postea autem ludi circenses qui Volcanales dicuntur, a Domitiano sunt constituti, qui, ut supra dixi, anno CCXVII p. C. n. a Macrino imperatore aboliti tamen propter religionem populo inde iniectam et amphitheatri incendio confirmatam paulo post sunt instaurati. Tum etiam cum Augustus curam incendiorum denuo constituit, dedicauit simulacrum Vulcani in foro anno IX a. C. n.,[5]) id quod magistri quoque uicorum imitati sunt.[6]) Itemque Statae Matris, quae incendia sisteret atque defenderet aedificia uiasque stratas ab illis, simulacrum in foro fortasse iuxta illud Vulcani erat constitutum.[7]) Atque eodem tempore aut anno VI p. C. n.[8]) Vulcano aliisque deis incendiorum potentibus sacrificari iussit. Namque omnia numina diuina excepto Quirino, quibus, ut apparet ex actorum fratrum Arualium l. s. s. Volcanalibus item sacrificabant, incendiorum potestatem habuisse luce est clarius. Nymphis enim Iuturnaeque a Romanis sacrificabatur propterea, ut per eas aquarum inopia in incendiis arcendis timenda auerteretur.[9]) Et

[1]) Preller(-Jordan) röm. Mythologie II[3] p. 147 sq., Wissowa, Religion und Kultus der Römer p. 184 sq. Mommsen ad C. I. L. I[2] p. 326. Jordan Eph. ep. I p. 230 sq. Varro l. l. V 74 et Dion. Halic. II 50 et August. de ciu. dei IV 23 a Tito Tatio rege Volcanalia condita esse memoriae tradunt, quod mihi non uerisimile uidetur esse. Immo potius Augustus hunc diem festum instituisse uidetur, quod iam Wissowa l. s. p. 140 suspicatus est.

[2]) fast. Arual. in C. I. L. I[2] p. 326.

[3]) Preller l. s. p. 154. Wissowa l. s. p. 185.

[4]) Preller l. s. p. 151. Wissowa l. s. s.

[5]) C. I. L. VI 457. Mommsen in Monum. Ancyr.[2] p. 82.

[6]) C. I. L. VI 802. Preller l. s. p. 154. Wissowa l. s. s.

[7]) Preller l. s. p. 153. Wissowa l. s. s.

[8]) Wissowa Hermes XXVI 1891 p. 141 adn. 1.

[9]) Wissowa l. s. p. 183. 185.

OpsOpifera colebatur propterea, ut horrea frumentis completa ab igni defenderet.[1]) Neque uero Quirino Volcanalibus sacrum factum esse aliunde testatum habemus. Ac ne illud quidem est neglegendum Domitianum, ut supra dixi, ad aram factam propter memoriam incendii Neroniani „Volcanalibus X k. Septembres omnibus annis uitulo robeo et uerre“ sacrificari iussisse.[2])

Quoniam dixi de Volcanalibus, nunc pauca dicam

de religionibus quae ad incendia arcenda pertinent.

Incendia enim siue fulmine excitata siue obscuris ex causis orta prodigiorum in numero habebantur. Hisce piaculis autem incendia procurabant: ludis uelut anno VII a. C. n.,[3]) peruigiliis uelut anno LXIV p. C. n.,[4]) sellisterniis uel lectisterniis[4]) uelut eodem anno, supplicationibus[4]) uelut anno LXIV p. C. n. ex Sibyllae libris, simulacro deae persperso[4]) uelut eodem anno. Incendium quoque anno XVI a. C. n. ortum est expiatum.

Vt incendia ab aedificiis prohiberentur, parietes ianuaeque postes incendiorum deprecationibus conscribebantur,[5]) ex quibus unam Festus[6]) memoriae prodidit, apud quem hoc scriptum uidemus: „arse uerse auerte ignem significat. Tuscorum enim lingua arse auerte, uerse ignem constat appellari. Vnde Afranius ait: Inscribat aliquis in ostio arseuerse.“ Huc spectat fortasse etiam illud: „arses uurses sethlanl tephral ape termnu pisest estu“[7]) quod ita explicatur: auertas ignem, Vulcane, uictimarum carne post terminum piatus esto, uel: ignem auertas, Vulcane, in cinerem redigens (qui) apud terminum piatus esto, uel secundum Huschke:[8]) qui hanc deprecationem Vmbricam esse putat ita: ardebis, uertes Vulcano sacrificium, ubi termino parcet, esto.“

---

[1]) Wissowa l. s. p. 168.

) Vulcanus non solum Romae, sed etiam extra urbem colebatur uelut Ostiae et Perusiae, qua in urbe anno XLI a. C. n. fere tota flammis absumpta fano tantum Vulcani excepto Iunonis loco adoratus est, qui urbem tueretur. Dio XLVIII 14, 5, Appian. b. c. V 49. Preller l. s. p. 153. Wissowa l. s. p. 186.

[3]) Dio LV 8, 6.

[4]) Tac. ann. XV 44.

[5]) Plin. n. h. XXVIII 20.

[6]) Festus p. 18.

[7]) Orelli 1384.

[8]) Huschke Rh. M. XI 1857 p. 364. conf etiam Corssen, Sprache der Etrusker I 527 § 195.

Praeterea Romani ostia, ut calamitates ab aedificiis arcerent, symbolice exornauerunt. Vt enim domos potissimum ab incendiis defenderent, foribus[1]) ululam uel bubonem clauis affixisse eos arbitror. Namque auis incendiaria, cuius Plinius,[2]) Dio,[3]) Iulius Obsequens,[4]) Lampridius[5]) mentionem faciunt, nisi bubo quidam intellegendus uidetur non esse, id quod apparet ex Plinii uerbis quae sunt: „inauspicata est et incendiaria auis, quam propter saepenumero lustratam urbem in annalibus inuenimus, sicut L. Cassio C. Mario cos., quo anno (CXXXVII a. C. n.) et bubone uiso lustratam esse. quae sit auis ea non reperitur nec traditur. quidam ita interpretantur, incendiariam esse quaecumque apparuerit carbonem ferens ex aris uel altaribus.“ Quem ad locum Harduinus in editione Plinii haec adnotat: „id frequenter miluo contingebat, arreptis extis e foris sacris, simul ut carbones auferret.“ „Alii“ ait Plinius „spinturnicem eam uocant, sed haec ipsa quae esset, inter aues qui se scire diceret non inueni.“ Quae auis fuerit spinturnix accuratius inuestigari non potest. Festo[6]) enim teste est „spintirnix genus auis turpis figurae; ea Graece dicitur, ut ait Santra, *σπινθαρίς*“. Harduinus autem huius nominis originem repetiuit „*ἀπὸ τοῦ σπινθῆρος* a scintilla siue igniculo, quem auis deferret, quaecunque ea esset, incendiaria ea siue bustuaria dicebatur.“ Ac ne illud quidem est neglegendum, quod Seruius ad Verg. Aen. IV 462 adnotauit: „sane bubo, si cuius aedes insederit et uocem miserit, mortem significare dicitur, si autem de busto sudem ad tectum detulerit, incendium aedibus portendere.“ Ex his igitur quae dixi satis apparere puto auem incendiariam bubonem quendam esse intellegendum. Cum autem auis incendiaria in urbe uidebatur, urbs lustrabatur.[7])

Sed Romani ad eam superstitionem sunt progressi, ut „incendia inter epulas nominata aquis sub mensam profusis abo-

---

[1]) Apul. metam. III 23. Colum. X 349.

[2]) Plin. n. h. X 36.

[3]) Dio LXX 24, 1.

[4]) Iul. Obs. 40 [27].

[5]) uit. Commod. 16.

[6]) Festus p. 331. 333. de spinturnice conf etiam Zeyß Philol. XXXI 1872 p. 310—313.

[7]) Wülker, Die geschichtliche Entwicklung des Prodigienwesens bei den Römern 1903 p. 17.

minarentur“.[1]) Atque „in incendiis, si fimi aliquid egeratur e stabulis, facilius extrahuntur nec recurrunt oues bouesque“.[2]) Quid? Quod apud Ioannem Lydum[3]) scriptum uidemus, quando incendia sint exspectanda.

---

[1]) Plin. n. h. XXVIII 26.
[2]) Plin. n. h. XXVIII 263.
[3]) Lyd. de ostent. c. 8. 39. 41. 49. 55. e. a. Hic mihi addere liceat duo exempla prouerbiorum, in quibus uersantur incendia, cum desint apud Otto, Sprichwort der Römer p. 137. 172. 253. et Szelinski, Nachträge und Ergänzungen zu Otto p. 8 eundemque in Rh. M. LVIII 1903 p. 471—475; LIX 1904 p. 149 sq. 316 sq. 477 sq. 635 sq. Quae prouerbia sunt: „incendia puniunt luxum“ (Plin. n. h. XXXVI 110) et „nec cessat luxuria id agere, ut quam plurimum incendiis perdat“ (Plin. n. h. XXXV 3.).

Index rerum.

acetum 71.
aedicula Iuuentatis 12.
Aemiliana 18.
alumen 71.
ambitus 48.
amphitheatrum Flauium 25. 36. 41. 43.
amphitheatrum Statilii Tauri 25.
aquarii 62.
ara incendii Neroniani 27. 82.
atrium Mineruae 44.
atrium Vestae 23. 40.
Auentinus mons 17. 22.
auis incendiaria 83.
basilica Aemilia 12. 13. 24. 43.
basilica Iulia 13. 24. 44.
basilica Neptuni 25. 31. 35.
bibliotheca templi Apollinis 23. 40. 45.
bibliotheca Capitolina 38.
bibliotheca templi diui Augusti 23. 33.
bibliotheca porticus Octauiae 32.
Caelius mons 16.
calciatus 76.
campus Martius 30. 35.
Capitolinus mons 25. 28. 30. 37. 38.
carmina Cumana 45.
casa Romuli 13. 14.
centones 62. 66.
Chalcidicum 44.
Cispius mons 36.
circus Flaminius 25. 32.
circus maximus 9. 17. 21. 22. 33. 41.
cognomina uigilum 56.
collegium fabrorum 76.
constitutio uigilum 56.
curia Iulia 24.
deprecationes 82.
diribitorium 25. 31.
dolabra 67.
domus Augustana 14. 23. 34. 40.
domus aurea 34.
domus Caligulae 17.
domus Tiberiana 23.
domus transitoria 23.
emituliarius 64 sq.
Esquiliae 24.
excubitorium 71 sq.
fabri 62.
ferramenta 67 sq.
forma urbis 40.
formula praefecti uigilum 78.
forum boarium 18. 22.
forum holitorium 10. 22.
forum Iulium 44.
forum Romanum 12. 13. 16. 23. 24. 35. 43. 45.
gradus uigilum 57.
Graecostadium, Graecostasis 24. 36. 44.
hama 67.
hecatonstylon 31. 43.
horrea piperataria 40.
horti Maecenatis 24.
incendium Gallicum 7.
incendium Neronianum 19 sq.
instrumenta ad incendia exstinguenda comparata 66 sq.
iter IV Augusti Gallicum 11. 12.
Iuturna 81.
lectisternium 82.
leges aedificandi 47 sq.
lex Visellia 55.
ludi 82.
Macellum magnum 73.
matricarii 68.
medici 65 sq.
munera uigilum 58 sq.
murus Seruianus 24.
naumachia Domitiani 34.
officia praefecti uigilum 76 sq.
Ops Opifera 81.
oratio de modo aedificiorum 49.
ordo praefecti uigilum 74 sq.
Palatinus mons 23. 37. 40. 41.
pantheum 25. 31. 35.
paries communis 48.
peruigilium 82.
poena 78.
pons naumachiarius 17.
porticus Iouia et Herculea 44.

porticus Minuciae 32.
porticus Octauiae 32. 38.
porticus Philippi 32.
porticus Pompeia 43. 44.
praedia Aemiliana 24.
praedia Augustalia 42.
praefectus uigilum 56. 58. 74 sq.
praefectus uigilum et armorum 76.
prouerbia 84.
puluinar 10.
quinqueuiri 51. 52.
Regia 23. 40.
regio I 25. 73.
— II 17. 73.
— III 25. 36. 73.
— IV 25. 35. 36. 41. 73.
— V 25. 73.
— VI 25. 73.
— VII 25. 73.
— VIII 13. 14. 30. 33. 35. 41. 44. 73.
— IX 11. 18. 25. 33. 35. 43. 44. 73.
— X 15. 25. 34. 35. 41. 73.
— XI 11. 25. 34. 41. 73.
— XII 73.
— XIII 17. 73.
— XIV 25. 73.
religiones ad incendia pertinentes 82.
rostra Iulia 24.
sacellum Streniae 24.
saepta Iulia 30. 31. 35.
sebaciarius 62 sq.
secretarium senatus 44.
sellisternium 82.
simulacrum perspersum 82.
simulacrum Veneris 18.
simulacrum Victoriae 11.
sipho 68 sq.
σπινθαρίς 83.
spinturnix 83.
spongia 68.
stadium in campo Martio 19.
Stata Mater 81.
stationes 71 sq.
subpraefectus uigilum 56.
tabernae 17. 22. 24.
tabula Fabii Pictoris 18.
tabularium 28. 40.
templum Apollinis 23. 32. 40. 45.
— diui Augusti 23. 28. 33. 36.
— Castorum 13. 24.
— Cereris 9. 22.
— Dianae 22.
— Faustinae 40.
— Felicitatis 18.
— Fortunae equestris 11.
— Herculis Inuicti 22.
— Iani 10.
— Iouis Capitolini 14. 28. 30. 32. 37. 38.
— Iouis Statoris 23.
— Isidis et Serapidis 25. 31. 44.
— diui Iulii 24. 40.
— Iuuentatis 12. 22.
— Lunae 22.
— Matris Magnae 11. 12. 14. 15.
— Mercuri 22.
— Pacis 38.
— Quirini 12.
— Salutis 18.
— Saturni 24. 44.
— Spei 9.
— Summani 22.
— Veneris 22.
— Veneris et Romae 44.
— Vestae 12. 13. 15. 16. 23. 37. 40.
— Vrbis 39.
theatrum Balbi 31. 32.
theatrum Marcelli 25. 32. 42.
theatrum Pompei 11. 16. 31. 41. 43. 44.
thermae Agrippae 25. 31. 35.
thermae Antoninianae 43.
triumuiri nocturni 51.
Troica Neronis 21.
Velabrum 23.
Velia 24. 40.
uigiles 51 sq. 54. 57 sq.
uigiles municipiorum 66. 67. 76. 78.
Volcanalia 27. 41. 42. 81.
Vulcanus 81.

Typis expressit Robertus Noske Bornensis.

Vita.

Paulus Ottomarus Werner natus sum in uico Reinsdorf prope ad urbem Cygneam sito pridie kal. Mart. anni MDCCCLXXXI patre Ottomaro ludi magistri munere adhuc in patria fungente, matre Wilhelmina e gente Ebersbach, quos ambo adhuc mihi superstites esse ualde gaudeo. Fidei addictus sum euangelicae. Primis litterarum rudimentis in patria imbutus anno MDCCCXCII gymnasium adii Cygneense, quod illis temporibus florebat rectore Gerth. Ineunte uere anni MCMI maturitatis testimonium adeptus Lipsiae philologicis potissimum atque Francogallicis studiis me dedidi.

Docuerunt me uiri illustrissimi: Berger †, Birch-Hirschfeld, Blondeaux, Brandenburg, Brugmann, Buchholz, Dittrich, Gardthausen, Hasse, Heinze, Hirt, Hofmann, Immisch, Koester, Kaerst, Jungmann, Lange, Lipsius, Martini, Marx, Prüfer, Richter, Seeliger, Schneider †, Schreiber, Sommer, Stumme, Volkelt, Wachsmuth †, Weigand, Wundt. Proseminarii philologici sodalis fui ordinarius per tria semestria auspiciis Immischii; Martinii proseminario per tria semestria interfui. Seminario Francogallico per duo semestria ascriptus eram. Et beneuolentissime me receperunt in seminaria historica Gardthausen per tria semestria, Wachsmuth per sex menses. Praeterea liberaliter aditum mihi patefecerunt Gardthausen ad societatem historicam per sex menses, Schreiber ad archaeologicas exercitationes per duo semestria, Marx ad exercitationes metricas per sex menses, Martini ad exercitationes philologas per sex menses, Jungmann ad exercitationes paedagogicas per duo semestria. Quibus omnibus uiris doctissimis, praecipue autem Gardthauseno et Schreibero meritas debitasque gratias ex animo ago semperque habebo.

Carissimis autem cum sodalibus me in philologorum thiaso Lipsiensi amicitia coniunctum esse eisque multa debere laetus profiteor.

